

41. Conradus de Bothmer, electus 1586. 6. Julii, obiit 1617. 25. Augusti, ætatis 69 annorum, 2. mensium, 2. dierum.  
 42. Joachimus de Bothmer, electus 1617. 26. Augusti. obiit 1629. 8. Septembr. ætatis 50. annorum, 3. mensium, 21. dierum.  
 43. Johannes Henricus ab Haselhorst, electus 1629. 25. Septembr. obiit 1642. 11. Novembr. juxta instrumentum electionis successoris ejus; sed juxta Epitaphium d. 10. Novembr. ætatis suæ anno 60.  
 44. Christophorus à Bardeleben, electus 1642. 11. Nov. obiit 1655. 5. Septembr.  
 45. Staius Fridericus von Post, electus 1655. 6. Septembr. à Principe vero non confirmatus: sed, mutata Abbatia in Scholam, adolescentibus Equestris generis destinata, vigore recessus Cellensis de anno 1655. 27. Octobr. Artic. 7. titulum eines Land Hofmeisters und Oberaufsehers der Ritterschuhl zu S. Michaelis in Lüneburg, cum prædicato *würdig* donatus. Obiit 1671. 28. Febr.

*Cessantibus Abbatibus, sequentes præsuere  
cum titulo Directorum.*

Ludolfus Otto von Estorf, constitutus 1673, circa Paschatos Festum, à Serenissimo Duce *Georgio Wilhelmo* titulum eines Landschafftis Directoris und Oberaufsehers der Ritterschul zu S. Michaelis obtinuit. Obiit 1691. 25. Januarii.  
 Werner Herman de Spörck, obiit 1693. 14. Septembr.  
 Augustus de Grote obiit 1700. 6. Junii.  
 Ernestus Wilhelmus de Spörck, constitutus 1700. 8. Decembr.

## XXXIV.

## FR. HENRICI BODONIS

## SYNTAGMA

## DE

*ECCLESIA GANDESIANA, ex MSto  
emendatum atque suppletum.*

De constructione Cœnobii Gandesiani, perfectione quoque  
& defectione ejusdem.

Cum Cœnobium *Clusinum*, Gandesianæ Ecclesiæ non secus atque matris senescentis ultimo pene virtutis robore editum quidem, adhuc tamen illius, licet frigidiore finu foveatur: tam decens quam utile judicaverim antea, quam de nostris perscriberem rebus, non nihil de illius feliciori fundatione, florenti etiam perfectione, ac demum marcescenti defectione præmittere. Libere enim quicquid posteritatis ratio deponere videtur, ut obeam, justum arbitror; ob idque omnem isti operam impertior, letheismersa eripiens aqvis, non citra quandoque mentis atque corporis fatigationem.

*Incipit Fr. Henr. Bodonis, de Ecclesia Gandesiana  
Syntagma.*

**S**cripturo mihi de matre nostra ecclesia Gandesiana, primum illius fundatorem ut absolvam, opus esse judicans, ad illius & nomen & genus memorandum me converto. Et quidem fundatori nomen *Lutholphus* fuit, genus autem ex Saxonum Principibus; quoniam in *Saxonum ipse Dux* princepsque potentissimus, utpote, cui ex *Widekindo* Saxonum Principe. (quem invictissimus licet Carolus Magnus post annos 30, quam armis fatigaverat; vix in deditionem cogere valuit) origo fuit. Et supervacaneum nulliusque momenti æstimavi, viro huic, nobilitate clarissimo, ab avorum & atavorum (Rhetorum more potentatu vel dominatu laudem venari. Non enim hic ramus aut sterilis est aut intæcundus, cui ex radicibus laudum fructus sic quærendus. Licet namque ex potentissimis, ut dictum est, exortus sit, ipse tamen potentissimis potentiores (ut ita dixerim) genuit, non solum Saxoniarum Duces, sed

T E T A  
etiam



etiam Romani Imperii moderatores potentissimos, ut ex sequentibus patebit. Unde factum est, quod in trunco sive in radice non invenias, mireris in ramis. Totius itaque Saxoniae Dux & princeps *Ludolfus ex patre Brunone*, quam fuit genere nobilis, tam bonitate & vitae moribus etiam claruit. Dum totius *Saxonia* dicitur, meminisse debuisti *Saxoniam* & orientalem & occidentalem, *Orientalis* Albiam attingit. *Occidentalis* autem *Westfaliam* continet, cujus Ducatus ab Angria nomen habet, ubi *Wedekindus Magnus* requiescit. Concurrent utraque simul ad mare usque; unde *Lubeca* ecclesiam majorem longo post tempore *Henricus Dux Saxoniae*, Princeps *Brunsvicensis*, fundavit. *Occidentalis* autem *Saxonia* ab eventu nomen aliud habet, ob frequentem a fide, quam coacti susceperunt, defectionem a *Carolo M.* sibi editum, dicente *Westenfeilt*: unde *Westfalia*. Utraque igitur *Saxoniam* *Lutholfus Princeps* potitus, filiam nobilissimi principis *Francigenarum* duxit uxorem, *Odam* nomine. Principis nomen *Hilling*: *Dominae* autem, sive matris *Odae* vocabulum, si non male characteribus fallor, *Pröda*, (a) fuit.

Et quidem *Oda* illustris foemina, quam nobilitate splenduit generis, tam etiam virtutibus, & certè omnivariis, corusca enituit. Quem autem a matre edocta virtutis cultum didicit & coram polita coluit; haud, *Saxoniam* invecata, dereliquit. Illustrissima namque illius genitrix Deo devotissima, non interdum solum orationibus vacavit, sed etiam nocturni temporis quietem proterens, Deo precibus appropinquavit sese, ac vitam suosque illius moderationi recommendans, omnibus suis in precibus *Divi Johannis Baptistae* meritis & intercessionibus se adjuvari exoravit. Quadam igitur nocte, dum ante aram *Divi Joannis* suae devotionis sacrificium omnium gubernatori Deo offerret, & caeli penetralia pulsare videretur, illius, quem precum suarum mediatorem invocavit, apparitione futura edoceri meruit. Quia inquit, crebra deprecis precibus te meritis adjuvari, praenuncio tibi, propaginem tuam cœnobium nobile sacris virginibus ac Deo sponsatis erecturam, tuamque progeniem, augustalem altitudinem ascensuram, ac potentissime orbi dominaturam. Eo solamine sibi devotam, *Baptista Christi* roboratam relinqvens, aethereas sedes repetivit.

Genuit autem *Ludolfus* inclytus Princeps ex *Oda* illustri uxore filios *Brunonem* & *Ottouem*, filias quatuor. *Hathumodam*, *Garburgam*, *Ludgardam* & *Christinam*. Porro illustris foemina *Oda* visionem, quam a matre edocta fuerat, pectore clausam tenuit. Tempore aliquando aridente in mentem revocans, de cœnobii constructione varia secum volutavit. Tandem piissimum Principem *Ludolphum* super re ista convenit, devota Deo devorum, bene cupiens de Deo mereribene cupientem, & gratificari optantem pulsavit, & facillimè, quod voluit, Principi persuasit. Una enim anima ambobus fuit, unus ad Deum affectus duobus. Inito ad rem feliciter auspiciandam cum Antistite *Hildesianorum Altifrido* secretius quidem consilio, in propria hereditate, loco omnibus noto *Bruntshusen*, Sanctimonialium aedificavit monasterium, atque bonis ditavit in honorem *Sanctorum Joannis Baptistae* ac *Protomartyris Stephani*. Quod ubi fundavit, Romam unà cum sua conjugè adire deliberavit, ad monasterii fundati tutelam etiam a *Papà* acqvirendam, & omnium donatorum confirmationem irrevocabilem statuendam. Acceptis proinde a Rege *Ludovico* litteris commendatitiis, ad *Sergium* *Papam* iter minimè distulit, sed devotè conceptum fervorem devotius adimplevit. *Papae* quoque acceptissimus, atque omnium, quae petivit, compos evasit. Hujus quidem testes litteras Principis ejusdem hic ponere placuit.

„Quia scriptum est, pretium animae viri divitiarum ejus: idcirco ego *Lutholphus Saxoniae* „Dux notum esse cupio omnibus *Christi* fidelibus, tam praesentibus quam futuris, quod ego post „inchoationem monasterii puellarum, quod divina inspiratione commonitus, simulque dilectae conjugis meae *Odae* svadela inductus, in honorem Praecessoris, *Stephani*que *Protomartyris* in *Bruntshusen* aedificare coepi; litteris Domini nostri *Ludovici*, *Romanorum Regis* invictissimi, ad Sanctissimum *Sergium* *Papam* acceptis, cum praedicta conjugè meà, anno *Dominicae* incarnationis octingentesimo quinquagesimo tertio, indictione prima, Romam ivi, & in praesentia ipsius summi Pontificis, praenominatum monasterium, & omnem proprietatis meae hereditatem, quam habui, videlicet *Gandeshemià marcu*, & *Aluunge marcu*, & *Raderinge marcu*, & *Benabia marcu* & *Lantudorp marcu*, & alia loca plurima cum familiabus utriusque Sexus, *Apostolorum* Principi pro remedio animae meae, & eorum simul, quorum debitor extiti, in jus & proprietatem tradidi. *Sanctorum* etiam *Romanorum Pontificum Anastasii* & *Innocentii* pignora gloriosa nobiscum deportanda, pio nobis caritatis affectu tradens, petiit, & accepit a nobis promissum, ecclesiam in honore praedictorum confessorum aedificandam, & lumen ante ipsorum pignora indeficientes administrandum. Ut autem haec omnia per succedentia sibi secula firma & indissolubilia persistant, privilegium plenae ac perpetuae libertatis, in papyro conscriptum, ubi omnia praedicta continentur, monasterio nostro liberè utendum contradidit.

Nos etiam in continenti duas stolas albas, triginta aureis intextas, eidem beato *Sergio* *Papae* tradidimus, statuentes, ut *Abbatissa*, quae pro tempore fuerit, eundem censum sanctae Romanae

(a) In *Roswitae* carmine quae habemus, legitur: *Alda*.



Romanæ ecclesiæ in signum libertatis singulis annis persolvat. Cum autem divinâ cooperante gratiâ prosperè domum rediissemus, gratanter à Sancto Collegio recepti, eundem locum sacro Collegio puellarum videntes nimis angustum, in quadam sylva hæreditatis nostræ, juxta fluvium *Gande*, qui alio nomine (a) *Echternâ* dicitur, anno ab Incarnatione Dominicâ octingentesimo quinquagesimo sexto, indictione quartâ, ecclesiam in honore prædictorum confessorum, non longe à loco priore, celebriori ædificio construximus. Precamur igitur vos, legentes nostræ hujus donationis paginam, ut cœlestis regni clavigerum pro nobis suppliciter exoretis, quatenus post funera carnis nostræ, Paradisi januas, traditâ sibi potestate, nobis aperiat, atque in extremo judicio ante tribunal æterni judicis supplex, nobis advocatus existat, omnium sanctorum interventione. Amen.

### *De cœnobii fundandi loco divinitus monstrato.*

**R**everfus ad lares proprios, laudabilem virginum adunavit chorum, Regi summo despondendarum; quibus filiam suam *Hathumodam*, alias jam bene vitam cœnobialem doctam, & *Alfridi* Episcopi Hildesiorum benedictione in Abbatissam consecratam, præfecit. Deinde animo admodum sagaci locum exploravit, quo ecclesiam, sive cœnobium majus priore, ædificare posset, & divinis obsequiis illud mancipare, ad honorem sanctorum Anastasii & Innocentii Pontificum. Quod autem in hæreditate propriâ ædificasse dicitur, eo est, quod habitationis propriæ locum ad construendum cœnobium delegit. Eum namque locum, qui hodie usque *Lutolvesten* dicitur, mansionis placitæ terminum habuit Principi, bene adornatum & aulis dignè excultum, de quo in divi Georgii martyris ecclesiam accessum, & facilem & expeditum, habuit. Ab ipsa enim aulâ suâ & Ducatus castro transitum fieri fecit, ad summi Regis aulam ducentem. Astipulatur dictis *Hrosvita*, cœnobii ejusdem virgo, in suo de constructione monasterii *Gandersiani* poemate. Cum autem trans Gandam omnia sylva vastissima occuparet, villulam exiguam inter umbrosos colles habuit, qua sese setigeri gregis custodes ex more reciperent Ducis *Lutolphi* ordinatione, & tam lassis membris suis quietem, quam gregibus contra bestiarum incursum securitatem capefferent. Contigit biduo ante omnium Sanctorum celebritatem, ut ipsi subulci, dum nocturno tempore scrovis sive porcis curam impenderent, maximo cum stupore plurimis (ut videre videbantur) lucernulis silvam densissimam nemusque opacum oppleri, [cernerent] quarum corusco admodum splendore funestas tetra noctis tenebras fugatas, stupetacti admirabantur. Quam visionem cum patri domus annuassent, demonstrato illi loco, quem lux ipsa perstruderat: in commune vigilare statuerunt; & illi quidem, si iterum eadem contingerent, ille verò, si vera indicassent, experiri cupientes. In somnum itaque sequentem ducentes noctem, ecce accensas iterum lucernulas, & numero auctas quidem viderunt, illarumque splendore, non secus atque auricomus ipse Phœbus locum præfudisset radiis, tenebras cessisse. Hujus visionis ordinem dum omnium ad aures fama portasset, Illustris Principis notitiam quoque fugere haudquivit. Et quidem tacuit, at intimo corde rem consideravit. Nocte igitur celebritatis, multis sibi junctis longissimo intuitu silvam contemplantatur, certior fieri cupiens, res ipsa si tertio appareret. Nec mora; posteaquam enim nemus teterrima nox omnium oculis abscondisset, eum locum, quo cœnodium fundandum divina electio elegerat, pulcherrimo ordine plurima circumdederunt luminaria; quæ tanta luce coruscabant, ut non horrendas solum tenebras loco pepulissent, sed etiam umbras ipsas arboreas abstulissent. Hæc ubi Princeps clarissimus cum adjunctis sibi clarissimè perspexisset, gratias Deo egit, utpote, qui tali signo, de ecclesiæ fundandæ loco cogitantem, dignatus fuisset. Haud enim dubitavit, eum locum sanctificandum, quem ita luce insolitâ jam tertio demonstrasset. Eam ob rem electissimæ conjugis suæ illustris *Ode* consensu, mox operarios accivit plurimos, & locum, quem cœlitus lux missa circumdederat, aggredi jussit, arbores succidere, vepres spinasque evellere mandavit. Mundato dein loco, & omnibus obstantibus erutis, ecclesiæ ædificandæ operam impertitur diligentem, atque divino amore flagrans, opus acceleravit.

### *De lapidibus ad fabricam necessariis cœlitus proditis.*

**I**nterea cum ad fabricam Ecclesiæ convenientes non possent nancisci lapides, ob idque templi opus inceptum moraretur: illustris scœmina *Hathumoda*, loci prima abbatissa, moesto valde animo tulit moram, timens, ne lapidum defectu ab intentionis magnitudine fundantium locum animus resiliat. Quam ob causam, tam nocte quam die multo se frangebatur labore, summi opificis thronum usque devoto cordeadiens, & illius exorans omnipotentem potestatem.

T t t t 3

Credidit

(a) *Eischerna.*



Credidit enim, se fide firmâ & non intermissâ precum instantiâ illius opem in retam arduâ sibi impetraturam. Utque multiplicatis precibus citius divinum auxilium mereretur, subjectis sibi fororibus junctis, intimè postulavit cœlitus solamen ferri; quippe, quibus ad bene cœpta perficienda penè nihil superesse humani consilii videretur. Nec mora, quam tam fidenter [ledulo] quarebat pietatem promptulam adesse meruit experiri. Post enim jejunia, post preces devotas, cum die quadam ante altare petitam opem ne largitas divina protelaret, devotis precibus & lacrymis precaretur: dulcisonæ cujuscumque vocis susurro, quam lapidi insidentem progressa esset offensura, admonetur sequi alitem. Quam admonitionem devoto pectore gratulabunda complectens; exurgens locoque discedens, ad cœptam templi fabricam properavit. Deinde accersitis ad se cœmentariis, jubet, sequantur se præeuntem. Cum autem Saxum magnum, sibi in visione designatum, haut procul vidisset; candidulam in eo sedentem columbam conspexit. Ubi vero ad Saxum usque venisset, ales, perinde atque diceret: venite; levi alarum volatu [locum] deferens, volitare ante eos cœpit; suumque volatum gradientibus contemperans; in montem usque perduxit. Quo cum pervenissent, columba resedit, & illis aspicientibus humum rostro percussit, sub cujus aggere lapides latuerunt, hominum cogniti nulli. Perfuncta officio ales, disparuit. Tunc Christi virguncula locum emundari jussit, tellurisque [gravem] admodum molem tollere, divini promissi credula, præcepit. Quo facto thesaurus, eoque incognitus, apparuit; tanta videlicet petrarum abundantia, ut non ad templum solum sufficiens foret; verum etiam ad totius cœnobii perfectam usque consummationem omnium judicio satis superque esset. Locus autem ille quo lapides tollebantur in ecclesiæ fabricam, mons iste & locus est, ubi modo rei dignâ animadversione plectuntur, & malam videmus crucem erectam. Cumque lapidum ad omne votum cœmentariis copia ministraretur, multo conamine opus cœptum acceleravere.

#### *De morte Ducis Lutholfi fundatoris.*

**I**nterea temporis inclytus Princeps *Lutholphus* qui Deo in terris domum fundaverat, ad domum non manu factam in cœlo [a Deo] vocatur; sicque qui magno licet animi desiderio ecclesiam illam atque cœnobium ædificare cœpisset, non tamen perfecit, impiâ sorore illius vitæ stamina rumpente. Hic tamen, cum lecto procumberet, electissimæ conjugi suæ *Oda*, nec non filiis suis carissimis, Ducibus *Brunoni* & *Otoni* omnem structuram cœnobii & ecclesiæ commisit, & nequid moræ in his paterentur [paternè] mandavit. Sicque plurimorum cum dolore rebus valescit humanis, non dubium, de morte ad vitam transmigrans æternam. Sepultus fuit in ecclesiâ *Bruntshusensis* cœnobii Donationis autem per se factæ cum Papæ consensu, literas dedit.

#### *Donationis per ducem Lutolphum factæ indices litteræ.*

*Quia scriptum est &c.* reliqua extant Tomo nostro secundo, pag. 371.

#### *De Oda Ducis Ludolphi relicta processu.*

**T**ranslato ad cœlorum regna inclyto Principe ac Duce Lutholpho illustris ejus conjux, semper Deo devota, devotius se gerebat, & carissimis filiabus se adjunxit, una cum illis, quod ab ipsis fieri voluit, Deo placere studens. Cœnobio filiarum præfuerunt; illa filiabus: & omni studio, quicquid Deo famulaturis necessarium vel judicavit vel perspexit, id procurare, & Deo ad cœnobium perficiendum fategit providere. Interea temporis caram Oda filiam, *Ludgardam* nomine, Rex Francorum *Ludvicus* sponsam postulavit, & conjugem atque Reginam duxit, in cœnobii Gandensiensis bonum.

#### *De Hathumoda primæ Abbatisse, obitu, & Garburgis primæ electione.*

**I**llustrissima Domina, bonorumque memoriâ digna Filia Oda & Serenissimi Principis Lutholphi *Hathumoda*, postquam viginti duobus annis virginibus Christi pia mater præfuisset, diem suum obivit extremum, suæ Sorori *Garburgi* sedem regiminis dimittens. Erat quidem ipsa *Garburgis* potenti cuidam *Bernrado* desponsata, & ut sponsa, quantum honestas exposulavit, vestita quidem fuit; sed animo non hæsit illi sponsus. Unde nuptiis renuncians, se Deo devovit. Quod ubi Sponsus rescivit, Gandeshemiam veniens, sponsæ requirit colloquia. Recusat illa; importunus ille agit. Matris illa tandem mandatis obtemperans; ora præbet, ad quam ita exorditur: famâ, & ut videre videor, non mentiente, didici, teniti nostrum dirumpere pactum, atque fœdisfragam solvere promissum. Id te scire volo, quod cum sospes revertar è bello,



bello, ad quod Senioris nostri Regis jussu accelero, te mihi sociabo etiam invitam, & tuum pes-  
 sandabo votum. Dixerat, & mente leviusculâ caput jactans & ora, per suum & gladium & can-  
 didulum jurat collum, verba quæ dixisset, ad rem se collaturum. Cui voce submissiore Gerbur-  
 ga respondit: Christi & voluntati & protectioni me committo: Sic mihi fiat, ut ipse decreverit.

Abscessit, bellum intravit: citò sensit non recte se locutum. Qui enim virginem alto vo-  
 luit detrudere proposito, eqvo dejectus, finem illic vitæ accepit. Sicque virgo, Christi amori  
 juncta, in illius desponsatione permanfit, mater & magistra illis facta, quæ ad Gandesianum con-  
 fluxerant cœnobium.

### *De Brunone & Ottone, Filiis Lutholphi Ducis.*

**P**atre ac illustrissimo principe Lutholpho vitâ perfuncto, Bruno filius illius natu grandior, ter-  
 ræ Ducatum suscepit, & una cum fratre Ottone ad opus inceptum, quicquid necessarium vi-  
 debatur, suppeditavit. Idem quoque Bruno cum fratre Ottone, Ludovicum Regem Fran-  
 ciæ orientalis, ad quem tunc Saxonia spectabat, adivit; & uno simul animo ipsum cœno-  
 bium Gandesianum, cum omnibus illius possessionibus, ipsi regi atque imperio tradentes tu-  
 endum & summâ videlicet auctoritate defendendum, perpetuo commiserunt. Quod piissimus  
 rex assumptum, sequenti privilegio donavit.

### *Privilegium Regis Ludvici.*

**I**n nomine Sanctæ & individue Trinitatis, Ludvicus divinâ favente gratia Rex &c. reliqua extant  
 Tomo nostro secundo, pag. 372.

Iste Ludvicus filius fuit Ludvici Regis Orientalis Franciæ. Postea enim quam miserabili sorte  
 Ludvicus, Caroli Magni filius, ipsum regnum Franciæ, quod Romanum in se habuit imperium,  
 filis suis partiens, diem clausisset extremum; ita partitum mansit ad usque ultimum ex Caroli  
 stirpe natum. Hic autem Ludvicus, qui hoc privilegium dedit, Ludvico rege ac patre vitâ fun-  
 cto, cum fratribus Carolomanno & Carolo paternum divisit regnum, orientalis videlicet Franciæ, &  
 in suam sortem accepit Thuringiam, Saxoniam, Frisiam & Lotharingiam. Hic illustrissimorum Du-  
 cum Saxoniarum Brunonis & Otonis sororem, Lutgardam nomine, duxit in uxorem.

### *De cruore sancto Gandesiam translato.*

**I**dem serenissimus Rex Ludvicus de Dominico cruore non nihil habuit, ad se usque à majoribus  
 deventum. Hunc cruorem maximâ habuit in reverentiâ, & non secus atque pretiosissimo illo  
 gaudebat thesauro. Regina autem illustrissima Lutgardis clanculum illum Regis thesaurum ab-  
 stulit, fore magnum arbitrans, si tam preciosus sanguis ad ecclesiam illam, quam pater suus  
 in Gandesheim ædificaverat, transferretur. Quod ubi perfecit, regi tandem furtum innotuit;  
 qui satis anxie tulit, thesaurum sibi pretiosissimum ablatum, & plurimum scrutando, quis facti  
 auctor fuisset, nitebatur explorare. Ubi verò reginæ anxio pectore factum indicavit, &  
 tantum sibi thesaurum ablatum, plurimum quæreretur; illa delinito illustrissimo Regis animo, se  
 sacrum cruorem non abstulisse tantum dixit, sed & tutiori loco, & ubi majori in reverentiâ habe-  
 retur, collocasse affirmavit, in famigeratissimam scilicet ubique terrarum ecclesiam, à patre suo  
 ac Principe Lutholpho in Gandesheim constructam. Vicit verbis suis illustrissima scemina regem,  
 & quem ad dandum ipsum sacrum cruorem plurimis impellere non potuisset, ut ablatum Gande-  
 sianque transportatum, non solum grato portaret animo, verum etiam, ut regis locum ipsum,  
 sacri cruoris respectu, donariis cumulare, impetravit, ut in sequenti patet privilegio.

### *Donationis regis Ludvici privilegium.*

*In nomine sanctæ & individue Trinitatis Ludvicus &c. Reliqua Tomo 2. nostro extant, pag. 372.*

### *Illustris Oda multis donatur à Ludvico Rege, filia interveniente.*

**I**dem quoque Serenissimus Rex Ludvicus, conjugis dilectissimæ [interventu] genitricem  
 Odam regio munere donavit, tali conditione, ut illa donatis, quoad viveret, uteretur; post  
 autem felicem illius mortem ita donata ad cœnobii possessionem cederent. Tradidit itaque illi  
 in Northoringiâ, hoc est in Northdoringlant, Wanzelevam. Ipsa terra, quia jam ad Saxones  
 longiusculè pertinuit, nomen illi mutatum est, & orientalis plaga Saxonia vocatur.



*De Ducis Brunonis intempesta [insperata] morte.*

**I**nclytus Princeps *Bruno*, sexto, ut putatur, anno regiminis *Garburgis* sororis suæ, cum contra infideles, Saxoniam irruptentes, prociendum movisset, & totum penè hostium tudisset exercitum; iterum illis in unum confluentibus, Dux inclytus cum duobus Episcopis & plurimis de populo, crudeliter occiditur. Et licet quidam libri, infidelibus *Danis* ipsum ad bellum provocantibus, martem tentasse seiebant, & jam illis terrâ pulsus, cum victor renavigasset, insperato ventorum turbinibus in profundum navibus pulsus, diem clausisse extremum; id tamen paleam esse certum est; cum *Hrosvita* poetis, temporibus illis vicinior, ab Ungaris ipsum cum Episcopis interemptum, pedestri describat sermone. Iste *Bruno* Dux magnanimus urbem principalem, caputque novi Ducatus futuram, *Brunswigam* fundavit. Isti Brunoni quidam chronographi fratrem assignant, *Tanquardum* nomine, à quo ipsi *Brunsvigæ Tanquordenverde* nomen accesserit. Verum ego nusquam inter filios Ducis Lutholphi illum scriptum reperi.

*De inclyti Ducis Ottonis principatu.*

**P**ostea quam illustris Princeps Bruno absque hærede terris nostris excessit, cœlicumque palatium petivit, frater illius *Otto* principatu terræ donatur à Rege Ludvico. Hic patris carissimi votum, quod ad cœnobium fundatum [ædificandum] habuerat, proferebat, & dilectissimæ genitricis dominæ *Odæ* voluntati plenè obsecundabat, atque novellam ecclesiam dignis exornans cultibus, cœnobii mœnia, & commoda puellis Deo servituris perfecit.

*Dies consecrationis ecclesie decernitur.*

**P**erfectis igitur cunctis, dies illa, cujus in medio noctis tertio quondam fullere divinitus læcernæ, dedicationi eligitur, ut, quæ fuerat fundandæ ecclesie quodammodo initium, foret etiam Deo consecrandæ, ac militiæ instituendæ, ut ita dixerim, primiceria. Erat autem dies illa, quæ vastum per orbem *omnium Sanctorum* venerabile festum peragitur, prima videlicet dies mensis Novembris. Quæ lucescente plurimæ hominum catervæ confluerunt *Gandesiam*, adesse optantes tantæ celebritati. Sole autem lucifluos spargente radios, pulcherrimus ille virginum chorus, susceptis patronorum sacris corporibus, gratulando inferunt ecclesie novæ, dulcissimi resonantes ac jubilantes hymnis. Cunctis tandem ritè peractis, Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus *Wibertus*, Ecclesie *Hildesianæ* sextus antistes, ipsum templum Deo dedicavit in honorem Divi Joannis Baptistæ, sanctorum *Innocentii* & *Anastasi* Pontificum, ac omnium sanctorum, quorum tunc festum celebrabatur. Consecratum ergo fuit ipsum templum & Deo dicatum cœnobium *Gandesianum* anno Domini octingentesimo octogesimo primo post *Deiparæ Virginis* partum. Ex tunc in *Sylvestribus* illis quondam locis divinæ laudis carmina cœtus ille virginum resonabat, omnibusque, quotquot *Dei* famulatu adscriptæ fuerunt, sanctimonialibus sceminis virginibus cœnobii *Gandesiani* claro perfectionis lumine cœnobialis conversationis tramitem ostendebant. Generis quidem atque generositatis luce rutilabant; ac virtutum nitore omnium penè oculos reverberabant.

*Ducis Lutholphi transferuntur ossa.*

**P**rimi quoque fundatoris Illustrissimi Principis Lutholphi, ante fabricam ecclesie vitæ sancti, ossa ex veteri ecclesia cœnobii *Brunshusen* in novum templum consecratum transferunt, eademque in australi parte ecclesie sepelierunt, in loco, qui modo ad sanctum dicitur *Stephanum*, ubi illius hodie usque sepulchrum cernitur.

*Rex Ludovicus moritur, & illius conjux Lutgardis.*

**S**erenissimus Rex orientalis Francie *Ludovicus*, ubi, quæ ad honorem Dei conferre decreverat cœnobio *Gandesiano*; & donata *Mirographis*que corroborata ex sententiâ perfecisset; diem suum clausit extremum. Quem illustrissima conjux & Regina *Lutgardis* (adhuc, inter ipsa novellæ ecclesie congregationis læta, quibus virginum illa congregatio cum *Odâ* venerandâ jocundabatur) sequendo, rebus excessit humanis, potitura cœlestibus.

*Inclytus Arnolphus Princeps Rex eligitur.*

**E**t quia Serenissimus Rex *Ludovicus* non dimisso hærede humanis exsitus æthera petivit, ob id fratris illius *Carolomanni* filium *Arnolphum* Regem orientalis (a) Saxonie Principes terre statuerunt. Habuit hic in regni forte *Bojariam*, *Sueviam*, *Saxoniam*, *Thuringiam*, *Frisiam*, *Lutringiam*. Hic bellicosissimus Princeps *Slavos* domuit ac *Normannos*. Tandem post multas victorias vocatu

(a) leg. Orientalis Francie,



vocatu Papæ *Formosi* ad urbem usque progreditur, & victoriâ adversariorum potitus, à Pontifice coronatur, nomenque Augusti sortitur.

*Regis Arnolphi, postea Imperatoris, ad Cœnobium Gandesianum donatio.*

**E**Xpugnatis fortissimè adversariis, cum, quid daturus esset, Papa *Formosus* pectore suo volutaret, & quicquid in mentem venisset, non dignum judicaret; atque Regi proposita, non tantâ æstimata ab ipso Rege videret: suscitabatur, quoniam munere illius majestati gratificari posset. Ad quem Serenissimus Rex fertur dixisse: Quicquid tua Sanctitas obtulerit, minus est, nisi unum, quod Romæ occultatum est, mihi præstiteris. Et adjecit: Crucem illam, in qua Christi omnium Redemptoris Sanguis est quem à Constantinopoli invictissimus *Constantinus* Romam transtulit, mihi ob gratiam inventam impertiatur tua Sanctitas, opto. Et licet non gratam beatissimo Papæ, nec etiam Romanis ipsis auditu placitam Serenissimus Rex voluntatem pandisset, majestatis tamen auctoritas impetravit. Cum igitur in Augustum Regem Papa benedixisset, ipsam Dominici Sanguinis crucem in collum coronati posuit, cupito illum munere dignatus. Cum autem felicissimè in propria rediisset, consilio cum reginâ inito, quoniam loci tam pretiosum Christi Sanguinem locaret, ubi debito honore haberetur: Illa, priorum memoriam docta, qualiter videlicet & serenissimus Rex *Ludovicus* eum, quem ipse habuerat, sacrum cruorem, Gandesianum ad cœnobium dedisset: Regis animum eo inflexit, ut & ipse crucem illam, sanguine Christi pretiosam, ad cœnobium, à Ducibus Saxonie adificatum, transferret, datisque ad ipsum templum regis muneribus quo veneratione dignâ coleretur in perpetuum, curaret. Ad Reginæ igitur votum invictissimus Rex *Gandesiam* venit, & munificentissimè suis donis locum cumulavit. Dedit primum crucem illam cum Christi Sanguine pretiosam, & quo coleretur honore, statuit. Deinde ad Prædecessorum suorum memoriam & salutem, in usum ancillarum Dei, ibidem Deo sanctisque ejus divina obsequia die noctuque persolventium, quicquid habuit in *Crucht*, & in *Calcheim* & in *Blidersforp*, in Comitatu \*\*\* datis litteris donavit. Villæ sunt jacentes cis Rhenum, magnis divitiis abundantes.

*De morte Garburgis prima, Ducis Lutholphi fundatoris filia, cœnobii Abbatissa secunda.*

**P**ostquam Illustrissima Regina Orientalis Franciæ *Lutgardis* suo obitu matris veneranda *Oda* pectora mœroris telo perlocerat, illius soror *Garburgis*, cœnobii Gandesiani Abbatissa, viginti duobus annis in regimine completis, dolorem dilectæ matris adauxit, naturæ atque Deo concedendo, non præter totius congregationis mœrorem. Plurimum enim cœnobio profuit, reginæ, sororis videlicet, adjuta pietate: unde Regum, tam *Ludvici* quam *Arnolphi*, & aliorum principum animos sibi conciliavit. Sepulta apud forem suam *Hathumodam*, diem operitur communis resurrectionis.

*Christina, prædictarum soror, Abbatissa eligitur.*

**S**Ede per mortem generosæ *Garburgis* vacante, Sororem vitâ functæ, *Christinam* nomine, concors sororum congregatio in Abbatissam elegit! quam electam præsul *Hildesianus*, *Wicbertus* nomine, consecravit. Hujus frater Illustrissimus princeps *Otto*, Dux Saxonie, nominis hujus primus & matris tam religiosæ quam venerandæ *Oda*, atque sororis ipsius, videlicet *Christina* Abbatissæ, defuncti quoque Patris ac Principis intuitu, miro fategit modo & studio, quicquid virginum congregationi frugi esse cogitaverat, & etiam præviderat in futurum expedire, suppeditare. Et hic quidem exterorum curam habuit, & rebus necessariis pro virili incubuit; mater autem *Oda*, laude omni dignissima, non filiam congregationi prælatam solum, sed etiam, quotquot divina electio illuc loci adduxerat non secus atque communis omnium mater, ad meliora suo studio provexit. Unde factum est, ut miratu omnium dignam illic conversationem institueret, & honestate multâ præditas virgines totus penè mundus, *Oda* illustrissimæ matris diligentia educatas, clamaret.

*Otto illustrissimus Saxonie Dux Rex fieri petitur.*

**C**Um post invictissimi Augusti *Arnolphi* mortem (miserabilem quidem eò, quòd *Pherecydis* fata in illum ceciderint, hoc est, pediculari morbo insanabili obierit dominator orbis) cum, inquam, post illius obitum ejus *Ludvicum* in regem Franciæ orientalis susceptum, Italia quoque regno, armis fugato *Berengario*, potitum, ipse tandem *Berengarius* captus



ptum incarceratumque oculis privasset; (a) res Franciæ ancipiti casu fluctuare videbantur. Hinc omnium potentum Franciæ unâ sententiâ sceptrum Regni *Otoni* Saxonix Duci offerendum decretum fuit. Erat enim illustrissimus Dux Otto virtutibus cunctis pollens, Francigenis verbo, opere, consilioque potentior, & miro tam ab ipsis Francorum potentibus, quam à Saxonibus, pro probitate ingenitâ affectu colebatur. Unde ipsæ virtutes, quas in illo venerabantur, adsciscere sibi sceptrum videbantur Regum. Ubi autem Regii nominis fama Principis aures attigerat, ætatis jam penè decrepitæ memor, omnino votis Principum contraria sensit, & se non potentem armis ob naturæ imbecillitatem caussabatur. Se tamen nunquam Regi surrogando defuturum dixit, sed consilio, auxilio & quibuscumque posset, Regiis rebus opem laturum. Cum proinde Franciæ Principes, se suâ spe frustratos, cernerent, *Otonis* Ducis Saxonix providentiæ commissum voluerunt ad discernendum, quis Orientalis Franciæ regio diademate coronandus esset, tantâ rerum curâ impendente. Qui secum meditari cœpit primum; deindeque, cunctis animo deliberatis, *Conradum*, Ludvici ultimi ex filio (ut creditur) nepotem, illis persvasit in Regem sufficiendum. Quem cum illis obtulisset, non dubiam Francigenæ de oblato, per tanti Principis iudicium, tenere sententiam, sed directis in illum votis; Regem Orientalis Franciæ elegerunt, coronatumque diademate, regio nomine donaverunt. Erat autem ipse Dux Franciæ *Couradus*, & ætate pollens & viribus plurimum valens; unde videbatur regni rebus opem ferre posse. Rex igitur constitutus, nihil sine Ducis *Otonis* consilio, vel tentavit vel perfecit, Principis senioris experientiæ deferens, & fidelitati illius se committens anno Domini 913.

*Illustris Princeps Otto Dux Saxonix in fata concessit.*

**U**ltimam penè ætatem cum illustrissimus Saxonix Princeps *Otto* attigisset, & tam pietate admirandus quam laudabili canitie venerandus, omnium iudicio diceretur; vetiti pomi morfu haustum venenum lethale, illius viscera statum Deo reddere cœgit. Ejus mors adeo congregationem Virginum electissimam perculit, ut præter illum etiam vivere se posse dubitarent. Unde totum triduum inhumatum servabant viri cadaver, sperantes, se illius Spiritum superis revocaturas. Saxigenæ ad exanimis lectum Principis cum Francigenis accurrunt, cadaver pariter & stratum lacrymis madefaciunt. Generosa mater *Oda* se superstitem filio doluit; undique voces resonant mœstitiam. Potentum tandem consilio tanti Principis ossibus dignus præparatur locus in ecclesiæ medio, in crypta sub choro. Quo disposito, dignus terræ Princeps, terræ commendatur, aliquando reddendus vivificanti Deo.

*Illustri Principi Hinrico, jam dicti Otonis filio, nascitur filius cui nomen Otto.*

**A**n te illustrissimi Ducis *Otonis* mortem, filio ipsius *Hinrico* natus fuit filius cui nomen *Otto*, futurus Augustus.

*Illustrissima femina, & digna tantarum filiarum mater, Oda moritur.*

**P**ost completos annos ætatis *centum & septem*, illustrissima & genere & vita *Oda*, tam ætate, quam virtutibus etiam omnigenis plena [piorum pignorum mater] diem obiit extremum, & terris erepta, dubio procul omni cœlis collocatur. Capit inter filias *Mausoleum* in aquilonari parte chori, ubi cum filiabus ultimum viventium omnium operitur diem.

*Illustris Domina Christina Abbatissa fati dat manum.*

**N**on diu superstes omnibus orbata remansit *Christina* Abbatissa, sed bis ternis in regimine annis completis, debitum carnis Deo solvens, spiritum, quem dederat, eidem reddidit, aliquando reddendum. Et hæc matris sororumque virtutum hæres, [quarum vitam dum spiritus artus vegetaret, imitabatur,] earum etiam oculis sociatur, anima posita. *O Gaudesia! Gaudesia!* vide fundatorum tuorum busta; & quidem illorum victitas munificentia, lætariis fundatoribus illis. At subeat mentem tuam, quid voluerint tantis stipendiis ecclesiæ donantes. [Certo scias, illorum te accusationibus multandam, si dilapidaveris, si non Deo obsequia offeras.] Jacet apud te pater, jacet apud te filius, jacet apud te mater cum filiabus tribus. Jacebis & tu, quisquis sacerdotiis ecclesiæ gaudes. Resurgent illi, resurges & tu. Illi donaverunt in divini obsequii augmentum; tu videris, qualiter utaris.

De

(a) Confudit *Ludovicum* Burgundiæ Regem, dictum *Orbum*, cum *Ludovico* Rege Germaniæ, Annal. filio.



*De Henrici Ottonis filii principatu.*

**E**Rat Illustrissimo Duci Ottoni filius, *Henricus* nomine, qui patri in Ducatu Saxoniae successit. At, nescio quo sydere, inter Serenissimum Regem *Conradum*, Principis Ottonis consilio ad regni fastigia proVectum, & *Henricum*, ipsius Ottonis filium, Saxoniae Ducem, dissensio adeo gravis orta fuit, & in finem penè usque Regis perduravit, ut ipse Rex *Conradus*, & Duci *Henrico* Ducatum, & Ducatui Ducem, tam dolo quam vi, moliretur auferre. Sic enim inclytus Princeps rebus suis, & quidem satis opimis, aliorum invidentiam irritavit.

*Quomodo idem Dux Henricus, Ottonis filius, eligitur in Regem.*

**C**um regni sui anno septimo Serenissimus Rex *Conradus*, mala pressus valetudine, diem ultimum jam jamque sibi impendere sentiret: Principes & Duces regni, excepto illustri Principe *Henrico*, Duce Saxoniae, convocari fecit. Quibus coram se positus dixit: me hominem Deus vocat; nulla vos, rogo, regnandi ambitio inflammet, sed *Henricum*, Saxonum, Thuringorumque Ducem prudentissimum eligit, ac regno praefectum Dominum habetote. Cujus sententiae cum Principes connivissent, fratrem suum *Everhardum* Rex ita alloquitur: Cernis, frater mi, diutius hac vita frui me non posse. Idcirco tui considerationem habeto, & meo tui fratris consilio intendito. Sunt nobis copiae, sunt exercitus, sunt urbes & arma cum regalibus insigniis, & omne, quod decus Imperii deposcit, praeter fortunam & mores.

Fortuna *Henrico* cedit, rerum publicarum summa secus Saxones est. Sumtis igitur hisce insigniis, lancea, armillis aureis [cum chlamyde & veterum gloriatione Regum] ac diademate, ito ad *Henricum*, pacemque facito cum eo, ut eum foederatum possis habere in perpetuum. Et ille quoque, licet lacrymas fudisset, in regis tamen fratris consilium itavit & iussa perfecit. Rege proinde vitâ pariter & regno perfuncto, omnium vota in illustrissimum Saxoniae Ducem *Henricum*, Ottonis filium diriguntur, & pari consilio Rex Orientalis Franciae eligitur. Hic dum quaereretur, assumendus in Regem, aucupio operam dare invenitur; unde *Aucupis* nomine vocatur. In regem susceptus, coronari noluit, dicens: Satis mihi est, praemajoribus meis nomen Regis adeptum. Penes nobiliores sint unctio & diadema. Quae illustrissimi Principis verba plurimis placuerunt. Sed & Imperium sibi oblatum acceptare renuit: Unde factum est, ut à nonnullis catalogo imperii dematur. Rex iste *Henricus* Serenissimus & totus inclytus, tanto virtutum cumulo dives, potentiam tantam excelluit, ut viri species imperium meruisse non injuria dicatur. *Mathildam* Theodorici filiam uxorem adhuc vivente patre duxit, ex qua tres filios, *Ottomem*, *Henricum* & *Brunonem* genuit. *Henricus* Bavariae Dux evasit: *Otto* Rex, ac tandem Imperator: *Bruno* annis tredecim Archipræsul ecclesiae Coloniae fuit, vir magnae perfectionis & sanctitatis. Ille monasterium *S. Pantaleonis* in Colonia fundavit, & abundantissime dotavit: cujus monasterii Abbas mille quasi florenos pro confirmatione largitur Papæ. Rex iste *Henricus* Serenissimus *Godariensem civitatem* fundavit. Totius religionis hic amator, & aviti spiritus egregius successor, quemadmodum avus suus inclytus Dux Saxoniae *Gandersheim*, præclarissimum virginum fundavit cœnobium, ita & ipse in *Qvedelingeborg* longè lateque omnibus notum monasterium ædificavit. Serenissima illius conjux Regina *Mechthildis*, sanctitate clara, & totam stirpem Saxonum nobilitans virtutibus suis, hospitalia multa variis in locis erexit. Monasterium etiam monialium [sanctimonialium] in *Northusen* extruxit, quod malo omine in secularem Canonicatum est mutatum, virginibus pulsus. Viderint, quid fundatrici responsuri sint rei auctores. In *Consfungen* etiam virginum cœnobium; monasterium insuper in *Polde*, quasi in palude, ordinis [hodie] *Præmonstratensis*, ipsa fundavit.

*De lancea Salvatoris.*

**H**ujus Serenissimi Regis temporibus Burgundionum Rex *Rudolfus* lanceam magni Constantini habuit, in qua de clavis Domini crux quaedam fabricata fuit. Hanc lanceam precibus & donis atque minis à Rudolfo Rege *Henricus* iste obtinuit, per quam saepe postea contra inimicos triumphavit. De illius creberrimis victoriis, qui scire aliquid voluerit, Chronica legat, & quod miretur, inveniet. Ipse tributum Ungaris negavit infidelibus.

*Rex Henricus filio suo primogenito nuptias facit.*

**M**issis ad Anglicorum Regis palatium nunciis, *Eaditham*, Regis *Eduardi*, vita jam functi filiam, à tenente sceptrum filio sponfam postulavit *Ottoni*, proli regiae. Gratiam habuit Rex, sororem postulatus, & nedum *Eadithani* solum, sed etiam alteram illius sororem paranympis regis assignavit, dans plenam regiae proli alteram eligendi facultatem. Oris Saxonicis invecas puellas, cum Serenissimis Regibus, *Henrico* patri ac *Ottoni*, praesentassent, &



utram eligerent, illam sponsam futuram, Anglici Regis mandato panderent; quam postulare, illam & in regnum assumerunt, & nuptiis institutis, proli regiae regiam sobolem junxerunt.

### De Donatione Regis Henrici, ac morte illius.

Inter cætera, quæ Serenissimus Rex Henricus ecclesie Gandesianæ impertitus est bona, curtes suas largitus est, *Herrhusen & Felberge*, cum omnibus eò pertinentibus. *Machtilda* Regina prædium unum in *Frisiâ* ad idem cœnobium dedit. Postea autem, quàm sedecim in regno annos compleverat, *Romam* devotionis, (ut quidam ajunt) aut Imperii sumendi, (ut alii dicunt) gratiâ petivit. At in ipso itinere morbo correptus, diem obiit extremum, & in cœnobium, quod ipse in *Qvedelingeboch* fundaverat, reportatus, humo commendatur, anno Domini nongentesimo tricesimo sexto.

### De electione Hrosvite Abbatisse,

Ad describendas Abbatissas ratio me à cœptis de regno *Otonis* revocat, ne dum diademata admiror nimium, videar tempus regiminis abbatissarum negligere. *Christiana* illustri femina è medio vivorum sublata, venerabilem admodum matrem generosamque Dominam *Hrosvitam* in abbatissam electam, Reverendus pater ac Dominus *Walbertus*, ecclesie *Hildesianæ* septimus Antistes, unâ & alias sorores, consecravit: has quidem velamine sacro Deo dedicans, illam autem benedictione in abbatissam cœnobio. Hanc venerabilem feminam fuisse ex congregatione illa sancta electam, litteræ tradunt posteritatis notitiæ [Hoc tamen notandum duxi, quod hæc non est illa *Hrosvita* Pœtis, cujus opera habentur. Post illam enim hæc & *Garburgis* secundæ regimine floruit, ejusdemque dominio subjectam se dicit in præfatione, quam Panegyrico suo præmittit.]

### De Luthgardis electione.

*Hrosvita* rebus humanis exemptâ, illustris domina *Luthgardis* regimini ancillarum Dei præficitur, quam volunt ab *Hatone* Episcopo Moguntino benedictione consecratam. De *Hatone* illo, qui scire volet, *Chronica* legat, & non bona offendet. Hæc *Luthgardis*, nominis hujus prima, *Otonis* Saxonie Ducis, in cryptâ quiescentis, filia fuit.

### De Windilgarde.

*Luthgardi* regimine & vitâ perfunctâ illustris Domina *Windelgardis* in locum illius surrogatur, [quam *Sehardus* Episcopus *Hildesianus* consecravit.] Hæc ecclesiam extra opidum in honorem *Deiparæ* virginis ædificavit, [quam *Sehardus*, nonus *Hildesianorum* Antistes, consecravit. Illa ecclesia postea in monasterium vertitur, ut patet.]

### Otto primogenitus Regis Henrici, Rex constituitur.

Evivis Serenissimo Rege *Henrico* per mortem sublato, primogenitum illius nobilem heredem *Otonem* terræ maximates Regem constituerunt. Hic regni terminos maxime dilatavit, & *Otto Magnus* appellatus est. Filios habuit *Ludolphum* [ex *Editha*, filia Regis Angliæ] *Wilhelmum*, *Otonem*. *Ludolphus* Dux evasit *Svevorum*, *Wilhelmus* Archiepiscopus *Moguntinus*, *Otto* Rex *Romanorum*. *Otto Magnus* habuit fratrem & Sorores duas; *Henricum*, postea Ducem *Bavariæ*, *Garburgam*, *Haddvich*. *Garburgam* *Lotharingiæ* Dux *Gisilbertus* uxorem accepit: quo defuncto Regi *Franciæ* nupsit, & mater fuit *Feidrici* Archiepiscopi *Moguntini*; quem postmodum propter traditionem *Otto Magnus* depositum, acceptare monachatum cœgit. Eadem *Garburga* *Francorum* Regem *Lotharium* genuit *Ludovico*, *Haddvig* *Francorum* Comiti *Hugoni* nupsit, qui postea in Regem fuit coronatus. Et quia Serenissimus Rex *Otto* Reginam matrem, illustrissimam *Machtildem*, aliquantulum inhonorasse dicitur, privando illam dotalicis, quam tamen sibi, ut decuit, reconciliavit: ex ipsis, quibus defendentibus robur Regni accipere debuisset, Deus judex justus illi regni perturbatores suscitavit. Frater namque illius *Henricus*, quorundam persuasû, mala in regem moliebatur; ob id videlicet, quod *Otto* nondum in Regem patre electonatus fuisset, ipse autem à Rege patre genitus. Filius etiam *Otonis* *Ludolphus*, *Svevorum* Dux, in Regem Patrem multa tentavit, Dux insuper *Lotharingiæ* *Gisilbertus*, cui soror Regis *Otonis* nupsit, ad mortem usque Regem persequebatur. Verum omnium moderator Deus, qui non nisi Regis peccatum purgare voluit, non nisi & Regi expurgatores illos dedit. Haud enim aliud poterant, quam incescere Regem,



*Illustris Princeps Henricus, Regis Ottonis Magni frater filiam  
suam Deo in cœnobium obtulit.*

**I**nter nubila illa cum Rege Ottone & fratre ejus Henrico tempora, *Henricus* clam Gandesiam pro-  
perat, inque ecclesiam Beatæ Virginis, extra opidum nuper extractam, se recepit. Missis  
dein ad Venerabilem Illustremque Abbatissam *Windelgardam* nunciis, dominicum sibi cruorem  
presentari petivit. Quo impetrato, votum Deo Christo fudit, sequè filiam suam, *Garburgam* no-  
mine, perpetuo illius servitio traditurum promisit, posteaquam cum fratre pacisci contigisset. Il-  
lam, ut conjecto, filiam ex prima uxore *Juditta*, Arnolphi Noricorum Ducis filia, habuit. Post  
longam iteratamque in fratrem Regem conspiracy, inclytus Princeps *Henricus* factorum pœ-  
nitens, depositis Duce dignis paramentis, & vilioribus indutus, humi se in Dei ecclesiâ coram  
fratre Rege Ottone prostravit, veniam & gratiam quærens. Ea pietate motus Rex pius, & fra-  
tri errorem indulgit, & paulo post *Bavarorum Ducem* fecit. Qui Dux confirmatus, Hungaros po-  
tentissimè fudit, stravit ac vicit, eisque irrumpendi in Saxoniam facultatem ademittit omnem. Qui-  
bus peractis, filiam *Garburgam*, & bene moratam & bene etiam litteratam, Deo in Cœnobio Gan-  
desiano maximo cum honore obtulit. Habuit idem Princeps ex *Editta* filium nomine *Lutolphum* &  
filiam *Lugardam* vocabulo. Hanc illustrissimo Franciæ Duci *Conrado* in conjugium sociavit: Lu-  
tolpho autem filio *Hermanni Svevorum Ducis* filiam accepit; unde factum est, ut tam Franci quam  
Svevi, *Ottoni* obedirent *Magno*.

*Privilegium Ottonis Regis primi, Gandeshemensis cœnobio datum.*

**R**ebus cum fratre compositis, Rex Otto ecclesiæ Gandeshemensi non defuit, sed interpellatus,  
sequens privilegium dedit.

**I**n nomine Sanctæ & individue Trinitatis Amen. Otto divina favente clemen-  
tia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum, presentium scilicet & futurorum  
industria, qualiter nos, remunerationis æternæ gratia, monasterium Gandesheim  
nuncupatum, in honore S. Mariæ & omnium Sanctorum à nostris constructum pro-  
genitoribus, nostri immunitate patrocini donamus, Sanctimonialibus ejusdem cœ-  
nobii electionis arbitrium concedentes, omniaque à prædecessoribus nostris Regibus  
illuc collata; Ludvico scilicet prædia in villis Tengstede (a) & Erike & Bliter-  
stede, cum familiis cæterisque omnibus appendiciis, in pago Suturingia in comitatu,  
cui tunc temporis Otto præfuit; & ab Arnolpho proprietates, in villis Cracht &  
Calcheim nominatis illo traditas; & à proavo nostro Lutolpho, qui prælibatum  
construxerat monasterium, quicquid in confinio villarum infra nominandarum, id  
est, Gandesheim, Rundina, (b) Deguste, Lankendorpe, proprietatis habuit, da-  
tum: & ab ejus conjugè, Odâ villam in Wantzlevâ cum omnibus, jure illuc perti-  
nentibus. Et ab avo nostro Ottone villam Hollenstede cum omnibus appendiciis suis;  
tradita hoc regalitatis nostræ; curtes etiam Herichusen, & Felberge (c) cum omni-  
bus eo pertinentibus, quas Dominus ac genitor noster Henricus Rex præfato dedit  
monasterio, cum prædio illuc à Domina ac matre nostrâ Machtildâ Regina in Frisia  
collato, præcepto confirmamus. Tradimus insuper earundem victui Sanctimoniali-  
um, quicquid proprietatis hæcenus habuimus in villa Mundelingen in pago Harthe-  
ri in Comitatu Ehrenfridi. Jubemus quoque, ut nullus Comes, vel alius quilibet  
exactor, judiciariam potestatem vel freda exigenda, seu mansiones vel paratas fa-  
ciendas, in omnibus monasterii locis, nisi ex consensu Abbatissæ monasterii ejusdem,  
habere præsumat. Et homines illius Abbatissæ, sive liberi sive servi, nulla judicia-  
ria coërocentur potestate, sed in presentia ejusdem Abbatissæ advocati, eorum re-  
ditudinem acquirant & cæterorum persciant. Et ut hæc auctoritas nostra firma  
permaneant, & per futura tempora à fidelibus nostris melius observetur, manu pro-  
pria subtus eam firmavimus, & anuli nostri impressione sigillari iussimus. Datum  
4. Non. May, anno Dominicæ incarnationis 946. Indiæ. 2. anno Domini Ottonis pi-  
issimi Regis XI. Vuerlahun in divinitatis nomine feliciter. Amen.

Uuuu 3

Rex

(a) Tennstedt, & Herike, & Blithersted, Leuckf. (b) Rinden, Dengthe MSt, Riadvin, Alfengen, Lachnathorpe,  
Leuckfeld, (c) Feldbike, Leuckf.



*Rex Otto Augustus benedicatur.*

**O**rientalis Franciæ Rex *Otto*, post plurimas tam de *Ungaris* quam de *Berengario*, regni Italiæ invafore, victorias, ac demum Romanorum coercitionem, urbem Romam ingrediens, honorifice suscipitur, à summoque Pontifice *Joanne*, applaudentibus cunctis, Imperatoris & Augusti nomen sortitur, anno Domini 964. Hic *Otto* primus & Magnus, quin immo, amor mundi vocatus est.

Hujus prima uxor, Regis Angliæ filia *Eaditta* Parthenopolin sive Magdeburg fundavit, Rege in Italiam agente; quâ tandem ibi feliciter sepultâ, *Adelheidin* Reginam, *Lotharii* Regis Italiæ relictam, cujus regnum contra Berengarium defensavit, uxorem duxit. Hæc fuit filia *Rudolphi* Ducis Burgundionum: quæ sepulta in *Zelfe* diocesis Moguntinensis quiescit, ubi dictus Imperator *Otto* duo monasteria, unum monachorum, alterum monialium, ædificavit & suo more opulentissimè dotavit. Utraque illarum uxorum Sancta creditur.

*De Ottonis Magni filio Ottone, in Regem benedicto.*

**I**nvicissimus Imperator *Otto* in Saxoniam ex Italicis oris reversus, filium suum *Ottonem*, cunabulis ferme adhuc oblitum, in regem *Aquisgrani* benedici fecit.

*De Garburgis Secunda in Abbatissam electione.*

**P**osteaquam illustrissimæ Dominæ *Windelgardi* inferias celebrassent, sorores, Dei obsequiis in cœnobio Gandesiano deditæ, in clarissimam scœminam, Dominam *Garburgem*, *Henrici* Bavarorum Ducis *Ottonis*que magni fratris filiam, vota dirigentes, Abbatissam illam elegerunt. Quam electam Reverendissimus Pater Dominus *Oswinus*, *Thiethardum* sequens *Hildesianorum* Antistes [decimus] consecravit.

*De illustri virgine sanctimoniali cœnobii Gandesiani Hrosvita*

**S**ub illustrissima Dominâ *Garburgi* ista secunda vitam egit ac floruit illustris virgo sanctimonialis *Hrosvita* in Saxonia nata, miro ingenio ac doctrina clarens, & in utroque scribendi genere admirabilis, cujus opera sunt:

Ad virgines sacratas, castitatem & continentiam hortando, Latino sermone conscripsit. In laudes Beatæ Virgines elegiaco & hexametro versu librum unum, incipientem: *Unica*

*spes.*

Historiam Resurrectionis Dominicæ: postquam corporeo *Christus*.

Historiam & vitam S. *Gangolphi*, *O pie lucisator*.

Historiam & vitam S. *Pelagii* martyris: *Inclyte Pelagi martyr*.

Historiam conversionis S. *Theophili*: *Postquam lux fidei*.

Historiam S. *Proterii* & S. *Blasii*: *Qui velit exemplum*.

Historiam S. *Dionysii* carmine elegiaco: *Dum factor*.

Historiam Passionis S. *Agnetis* virginis: *Virgo quæ vanas*.

De gestis *Ottonum*, sive gesta *Ottonis Magni*, primi in Germania Imperatoris panegyricum versu hexametro: *Pallens imperii Regnator*.

Et præscripta quidem in lucem per calcographos edita habentur, cum comœdiis sequentibus:

Comœdiæ sex in æmulationem Terentii.	{	Prima, Gallicanus.
		Secunda, Dulcitus.
		Tertia, Callimachus.
		Quarta, Abraham.
		Quinta, Paphnutius.
		Sexta, fides, Spes & Charitas.

Verum de fundatione cœnobii Gandesiani versu hexametro scriptum opus, cui etiam beatissimorum Pontificum *Anastasi* & *Innocentii* vitas, eodem genere metrorum contextas, præmisit, pulveribus longissimis temporibus abditum, nostro ævo vix lucem vidit, aliquibus etiam foliis privatum. Taceo, quod & vetustate nonnullis in locis non litteræ tantum, verum & totæ Sententiæ absumptæ sunt. [Incipit: *Ecce mea supplex humilis devotio mentis*] Græce etiam linguæ notitiam habuit [Rara avis in Saxonia visa est] Coætanea *Joannis* Anglici fuit, quæ doctrinâ suâ papatum meruit.

*Monasterium beatæ Mariæ Virginis construitur.*

**E**ccliam illam extra oppidum, quam *Dominâ Windelgardis* ædificari fecit, in cœnobium virginum Ordinis *Divi Benedicti*, illustrissima *Dominâ Garburgis*, hujus nominis secunda, con-

vertit



vertit, & ad rem istam bene cunctis dispositis, triginta personis locum aptissimum reddidit, quas etiam sustentavit, necessaria alimenta suppeditando.

*Alterum privilegium, quod Otto Magnus dedit.*

POSTEAQVAM Augusti nomen Serenissimus Rex Otto obtinuit tunc & alterum privilegium cœnobio Gandesiano dedit, (a)

**I**N nomine Sanctæ & individuae Trinitatis, Otto Dei gratiâ Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus & futuris, quomodo Ludolphus proavus genitor noster (leg. genitoris nostri) Dux Saxonum, quoddam monasterium in loco, Gandesheim nuncupato, construxit cum venerabili conjugæ suæ Oda, primordium ejus constructionis affirmans cum filia consecrata, quam Dei servitio ibidem nuncupavit, simulque cum ea tradens dotis nomine, quicquid prædii habuit in Gandeshemia marcu & in Alluunga marcu, & in Lahena marcu. Postquam autem memoratus Dux migravit à seculo, ejusque venerabilis conjux viduata remansit; filii eorum Bruno & Otto adierunt Ludvicum venerabilem Regem, qui sororem eorum in matrimonium acceperat, & tradiderunt ei memoratum monasterium, quod Lutolphus eorum genitor in primis ædificare cœpit, cum omnibus, quæ ad idem monasterium jure ac legitime pertinere videbantur, eo videlicet rationis tenore, ut præfatum monasterium regio sublevaretur munimine, & sanctimoniales fœminæ, ibidem Deo famulantes, in ejus & deinceps succedentium consisterent patrocinio Regum. Quod ille desiderium gratanter accepit, atque auctoritate regali concessit, easdem sanctimoniales potestatem habere inter illas, quamcunque vellent, eligere: electionem nullo inquietante, sed imperiali auctoritate protegente, per cuncta seculorum curricula firmam & inviolabilem teneant. Deinde concessit omnes mercatores à Rbeno usque ad Albiam & Sale transeuntes, ad usus sanctimonialium ibi degentium, censum telonii persolvere. Postea vero tradidit ad supradictum monasterium in pago, qui vocatur Suturingia, in Comitatu Wilhelmi [Comitis] quicquid habuit in Tenytede, in Erick & in Blidestede. Ac deinde dotavit venerabilem socrum suam Odam, quæ ejusdem monasterii fundatrix exstitit, post obitum senioris ejus Lutolphi; tradens ei in pago Nordtoringia in Comitatu Theodorici in loco Wantzeleva nuncupato, quamdiu superstes in hac vita remansisset; post obitum vero ejus, absque contradictione heredum ejus, concessit auctoritate regali eandem hereditatem jure perenni ipsi monasterio in proprietatem, pro remedio animarum piissimorum antecessorum Augustorum, & ob suæ mercedis augmentum, nec non pro dilectâ conjugæ Lutgarda. Hoc igitur venerabili exemplo provocatus Arnolphus Rex, tradidit ad idem monasterium in beneficium, per interventum conjugis suæ Odæ nec non Hildegardis venerande neptis ejus, in eleemosynam Divæ memoratæ aviæ [leg. divæ memoriæ avi] Ludvici Regis genitorisque ejus Carolomanni Regis, nec non probeatissimorum Regum, videlicet Ludvici & Caroli patruorum ejus commemoratione, animæque remedio, ad usus ancillarum Dei ibidem Deo sanctisque ejus divina obsequia die noctuque persolventium, quicquid habuit in Crucht & in Calheim & in Bildestorp [Bliderstorp] in Comitatu N. Hæc omnia, quæ presenti scripto continentur expressa [concessa] bonæ memoriæ genitoris nostri; more antecessorum nostrorum, Regum videlicet & Imperatorum, concedimus & donamus. Et si persona quælibet posterorum nostrorum [vel aliorum] quod minime credimus, hoc nostræ concessionis præceptum irrumpere tentaverit & violandum decreverit, Dei omnipotentis iram incurrere nullo modo dubitet, & coram justo iudice, in tremendi examinis die, serationem redditurum. Ut autem hoc nostræ concessionis auctoritas firmiter habeatur, & per futura tempora melius observetur veriusque credatur, propria manu subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Datum tertio Nonas Novembris anno Domini 975. Indictione 4. anno Regis Ottonis 15, Imperii autem anno 8. Actum Palathe in Dei nomine feliciter, Amen.

Rex

(a) Otto I. hoc privilegium dedit, ut extat in nostro Tomo 2. pag. 171. Sed quod hic legitur apud Bodonem, videtur quasi renovatio esse privilegii paterni, facta ab Ottone II.



*Rex Otto secundus, Patre ac Imperatore adhuc vivente, Augustus  
creatur, & Otto ipse, videlicet pater, moritur.*

**P**osteaquam ob Leonis Papæ expulsionem, Romanos obsidione & fame plurimum afflixisset Otto Magnus, & vi vim inferre Romani nequivissent; in deditionem coacti, Principi invictissimo portas aperuere, ac honorificè susceptum, vel nolentes Augustum senserunt. Quibus feliciter actis, filium Regem Ottonem Augustum Otto Pater ad se accitum, & à summo Pontifice coronari, & à populo universo Augustum salutari fecit. Deinde Constantinopolitani Imperatoris filiam, Theophanu nomine, Imperatori filio suo Ottoni in matrimonium conjunxit. Omnibus demum bene compositis, reversus ex Italia, Pascha Domini Quedlingboreh celebravit; ac deinde Martianopoli Ascensionem Domini [ex more] ferians, morbo correptus anno Imperii sui 13. diem obivit extremum. Hic primus *venas argenti & aris juxta civitatem Goslariam invenit*. Parthenopoli sive Magdeborch cultu regio humatus adhuc cernitur summa in ecclesia, quam fundaverat.

*De Ottone secundo Imperatore.*

**I**ste Otto tam ab eventu, quam à corporali qualitate nomina sibi obtinuit. Ob qualitatem enim corporis rubicundiorum Rufus dictus fuit; & quia ante se patrem cognominem habuit, Otto secundus appellatus est. Demum ob fortitudinem & in Saracenos sanguinolenta prælia sanguinarius & pallida mors Sarracenorum nuncupatur.

*Privilegium primum Ottonis secundi, ecclesie Gandesianæ datum.*

**H**ic Imperator filiam suam carissimam, Sophiam nomine, Illustrissimæ Domine Garburgi, cœnobii Gandesiani Abbatissæ divino famulatu enutriendam & instituendam tradidit, & sequens Privilegium dedit.

**I**n nomine Sanctæ & individue Trinitatis, Otto divinâ favente clementiâ Imperator & semper Augustus. Omnibus [Christianæ] fidei ac nostræ majestatis (a) debitum & fidei servatoribus per subjectum adhibitis scriptum titulum patere volumus, qualiter nos dilectæ conjugis nostræ Theophanu Imperatricis Augustæ votum & interventionem sequentes, filiam nostram carissimam nomine Sophiam Deo & sanctæ genetrici illius Mariæ Virgini, sanctisque confessoribus Anastasio & Innocentio, quorum ecclesia in loco Gandesheim nominato honorificè constructa videtur, cui etiam Garborg neptis nostra sub præsentis tempore [venerabilis] Abbatissa præesse dignoscitur; devoto animo obtulimus, atque, ut sacræ scripturæ litteras ibi ediscat, vitamque & conversationem dignam sanctimonialium, Deo illic servientium, imitetur, præfata Abbatissa nutriendam commendavimus; eidem ecclesie ac prænaratis sanctis, nec non virginibus Deo illic servientibus, ob nostri nominis parentumque nostrorum memoriam, in die oblationis ejus donantes nostræ proprietatis quendam locum, (b) Bliedstad nominatum, in Comitatu Siggonis & (c) in pago N. Insuper \*\*\* ad nos pertinens in villis Suzare, Ericha, Rohenstad, Nuenstad, Womeltroverich, [Wunestroverich] Wolfereswiniden, in præscripto Comitatu [et pago] sitis; sylvamque in (d) Dunstedriâ marchâ. Illa atque hæc omnia, cum omnibus rebus illuc rite pertinentibus, in mancipiis utriusque sexus, ædificiis, areis, terris cultis & incultis, agris, campis, pratis, pascuis, sylvis, aquis aquarumve decursibus, molenis, piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, cunctisque aliis (e) impendiciis, quæ dici aliquo modo aut nominari possunt, hæc nostrâ auctoritate donationis ad integrum superscriptæ ecclesie in proprietatem tradidimus. Et ut hæc nostræ donatoris integritas per futura temporis curricula inviolabilis & inconvulsa permaneat, hoc nostræ Celsitudinis præceptum conscribi, manuque propriâ subter notatum, sigilli nostri impressione jussimus subsignari. Datum. 5. Kal. Octobris anno Domini Incarnationis 979. Ind. 6. anno autem regni Ottonis secundi (f) 19. Imperii verò 12. (g) Volckvelden in nomine Dei feliciter, Amen.

Alterum

(a) Debitis ac fidelis Servatoribus, per subjectum adhibiti scripti titulum. Leuckfeld. (b) Bliedstadt Leuckf. (c) Ex in pago \*\*\* spiciebat, ad nos pertinens in villis Svozare, Ericha, Ruchenstad, Niwenstad, Weltererich, Wolfereswiniden Leuckf. (d) Dunstedina marcha. Illi \*\*\* atque hæc. Leuckf. (e) Appendiciis, Leuckf. (f) 18. Leuckf. (g) Actum Bocvelden, Leuckf.



## Alterum ejusdem Privilegium.

**I**N nomine Sanctæ & individue Trinitatis, Otto divina favente clementiâ Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum, presentium atque futurorum solertia, quod nos more antecessorum nostrorum, Regum videlicet ac coimperatorum, legitimo sortientes connubio nostræ dilectæ conjugis Theophanu quendam juris nostri locum, (a) Pateleche nominatum, in pago Ambraga in Comitatu Wychimanni constitutum, cum cunctis cujuslibet utilitatis rebus Abbatissæ monasterii in Gandesheim in perpetuam proprietatem donavimus firmiterque legavimus, cum cæteris compluribus villulis, ad præfatum locum pertinentibus, ac utriusque sexus mancipiis, aedificiis, campis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, sylvis, aquis aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, venationibus, exitibus & redditibus, viis & inviis, quæ sitis & inquirendis, ea videlicet ratione, ut quicquid exinde sibi placuerit faciendum, omnium contradictione prorsus personarum contempta, faciat. Et ut hoc largitatis nostræ præceptum stabile firmumque perpetim credatur, sigillo nostro signari jussimus, manuque propria subtus notando confirmavimus. Datum anno Dominicæ Incarnationis 979.

## Privilegium ejusdem tertium.

**I**N nomine sanctæ & individue Trinitatis, Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Omnium fidelium nostrorum, tam presentium quam futurorum, pie devotioni patere volumus, qualiter nos, dilectæ conjugis [nostræ] Theophanu Imperatricis Augustæ ac carissimæ filiæ nostræ Sophiæ votum sequentes, ob dilectionem & interventum neptis nostræ Garburgis [Gerbirgis] Abbatissæ venerabilis, ad ecclesiam, cui ipsa præesse videtur, in loco Gandesheim [Ganderesheim] constructam, ac in honore Sanctorum confessorum pariter & Pontificum Anastasii & Innocentii consecratam, Urbalem bannum, quem vulgariter Burchban vocant, ante prædecessores nostros, Reges videlicet & Imperatores, ad prædictam (b) civitatem pertinentem, hac nostræ præceptione noviter confirmamus. Et insuper duos nostræ donationis Urbales bannos, unum in Seburg & alterum in Greve [Grene] in jus præfate ecclesiæ & Abbatissæ, modo & in futuro ibi præsentis, a novo concessimus, atque illuc hac nostræ auctoritatis confirmatione ad integrum tradimus, ea videlicet ratione, ut prædicta Garburch [Gerbirg] Venerabilis Abbatissa sueque successores, præscriptorum locorum bannos sub suo jure perpetim teneant; nec ullus deinceps Comes vel Advocatus, aut alia quælibet persona, sine voto aut jussu superius nominatæ Gandesheimensis Ecclesiæ Abbatissæ aut sibi succedentium, potestatem super eosdem bannos aliquo modo habere præsumat. Et ut hæc nostræ donationis aut confirmationis auctoritas per futura tempora credibilior & stabilior habeatur, hoc nostræ Celsitudinis præceptum inde conscribi, manuque propria subtus notatum, sigilli nostri impressione jussimus assignari. Datum 4. Idus Martii anno Dominicæ Incarnationis 980. Indict. 7. anno vero regni secundi Ottonis 19. Imperii vero 13. Actum Tornborch in Dei nomine. Amen.

Signum Domini Ottonis secundi, invictissimi Imperatoris & semper Augusti.

## De morte Ottonis secundi, &amp; tertii Imperio.

**P**ost plurimas victorias & Romanorum ad pacem servandam coercitionem [deditionem, invictissimus] Otto, hujus nominis secundus, Imperator & semper Augustus, Roma ultimum clausit diem, ibidemque honorifice terræ commendatus requiescit. Sortitus est autem regni sui hæredem filium Ottonem, qui illius nominis tertius, ob egregia facinora & creberrimas contra infideles victorias, *Mundi mirabilia* appellatus fuit. Et licet pene puer judicaretur ob ætatem; nam decem & octo annos [vix] natus fuerat: matris tamen, scilicet Theophanu Augustæ consiliis, & Divi Bernwardi, quem morum habuit institutorem, ductu, regni habenas & tenuit & gubernavit. Vir tandem effectus, Romam adiit, & ipsis Romanis petentibus, Pontifice tunc summo defuncto, Brunonem consanguineum, in Petri sedem promovit: à quo & coronam Imperii

Xxx x

rii

(a) Patelecke. MS. (b) vox: civitatem, non extat in MSC.



rri Augustique nomen accepit. Hic autem quibus ecclesiam Gandesianam donaverit, ad eam non venit notitiam. Ille (a) carens hærede, cum consensu statuit, ut exinde non hæreditate sed electione Imperium quis teneat.

*De morte Garburgis secunda.*

**P**osteaquam illustrissima fœmina Domina Garburgis, hujus nominis secunda, cœnobii Gandesiani Abbatissa, *Henrici* Bavarorum Ducis filia, cui *Magnus Otto* patruus fuit, annos quinquaginta duos cœnobii ipsius regimen optimè, (utpote quam Dominus omnigenarum virtutum decore adornaverat) manu tenuisset, feliciter obdormivit in Domino; cui similis religionis sacræ cultu post obitum illius non surrexit. Cum illius namque feretro primæ institutionis integritas monasterio eportabatur, & novus exinde vivendi modus, austeritatis quidem primariæ impatiens, delicatulis autem fœminulis mirum in modum gratus, assumebatur. Ubi autem luxus & superfluitas rerum ædes cœnobiales intraverant, pariter cum illis & insolentia comitabatur & placiti libitique licentia.

*De prima Sophia [Secundi] Ottonis filia electione.*

**A**d futuræ vero Abbatissæ electionem adunatæ virgines, vota sua in *Sophiam*, Secundi Ottonis filiam, direxerunt, & eandem in defunctæ sedem admittentes, Abbatissam fecerunt. Hæc est illa, quæ gravissimas dissensiones inter Hildesianos & Moguntinos Præsules instruxit. Primam enim, inter *Osdagum* Hildensemensem & *Willigisum* Moguntinum antistites, litem causam fecit velationis sibi impendendæ benedictione: non enim, nisi à *palligero*, hoc est, Archiepiscopo velari voluit. Ad quod, dum suis malè dulcatoris verbis *Willigii* animum inflexisset, adeo animavit, ut mordaciter *Osdago*, valde Reverendo viro, & ex monacho *Augiensis* cœnobii Episcopo factò, resisteret; & ad suam Parochiam ecclesiam Gandesheimensem pertinere asseverans, diem decerneret, quo ad velandas virgines Gandesheim adventurus potestatem Episcopalem se diceret eo loci ostensurum. Convenit autem ad diem constitutum & *Osdagus*, suum in ecclesiam ipsam jus defensus. Constitutus igitur in loco Episcopis duobus, ad unam eandemque rem perficiendam, & hic suum ostendit jus; ille vero sibi id competere vero jure voluit. Tandem, post longam disceptationem, favore multitudinis Archiepiscopo destituto & coram multis Episcopis injuriæ convicto; ad altaris absidem cathedram Episcopalem *Osdagus* Antistes Hildensemensis poni jussit, hac tuitione locum ac regimen defendens. Interposuit autem se disceptationi *Ottonis tertii* Regis præsentis mater *Theophanu*, & suis cum Episcoporum coram positorum precibus id obtinuit, poscente, imo ultra, quam credibile est, rogante, Moguntino, ut ad altare principale ipsa die mysteria perageret; ista tamen ratione, ut Dominæ *Sophiæ* simul Antistites duo velationem peragerent, cæterarum vero solus Hildesianus perficeret. Concessum & petitioni, & locus caritati fraternæ datus. Factum (b) insolitum quiddam; duo Episcopi ex latere altaris sederunt, Pontificalibus paramentis festivo infulati. Ventum est ad ancillarum Dei consecrationem. Tunc Episcopus Hildesianus, qui antea à Pontificali jure timebatur dejectus, subito Dei judicio erectus, inter missarum solemniam primo Dominum Regem, si in sororis suæ relationem consentiret, humiliter requisivit; deinde alios. Quibus consensum fatentibus, primo Dominam *Sophiam*, si ad Hildensemensem sedem sibi suisque successoribus subjectionem & obedientiam profiteretur, interrogavit; deinde alias velandas. Quæ unanimi consensu religionem & subjectionem professæ sunt; publiceque denunciatum est omni clero & populo, Archiepiscopum nihil juris sibi in ecclesia vendicare, præter consensum & permissum Episcopi Hildensemensis. Interfuerunt huic rei Episcopi *Millo* Mindensis, *Hildebaldus* Wormatiensis, *Retharius* Paderbornensis.

*Sophia* deinde, matre defuncta, ad fratris sui, Ottonis videlicet tertii palatium, invita etiam *Garburgi* Abbatissa secunda, *Willigisi* Archiepiscopi factione promota, se recepit. Erat enim litteris imbuta, & leges quoque calluit civiles; quapropter *Otto* frater ejus Imperator eam petivit sibi concedi ab Abbatissa. Fuitque ultra biennium rebus Cæsareis dedita, varium de se spargens rumor. Defuncto autem *Osdago*, & in ejus locum surrogato *Gerdago* etiam brevi vita functo; *Berwardus* tertii Ottonis opera Hildensemensis Episcopus ordinatur. Hic, licet Dominam *Sophiam* summo honore semper coluisset, rem tamen istam, quam dimisso cœnobio tentavit, gravatim tulit. Quapropter blandius illam admonitam, ad monasterium redire, quibus potuit, hortabatur. Et licet surdis auribus verba sua capi videret, haud tamen destitit, quod æquum fuit, inculcare. Ubi autem viri sancti admonitionem ingrato animo Domina *Sophia* accepit, admonentem primo declinavit. Deinde patrocinaturum sibi *Moguntinum* accersit [accessit] & illius, ut antea in *Osdagum*, ita nunc quoque in *Berwardum*, animos concitavit, muliebri persuasione, jurisdictionem

(a) Hæc ultima periodus in MSto Gvelfebytano non extat. (b) Quæ hic sequuntur, desunt in MSC. Gvelfebytano usque ad paragraphum; Sophia deinde matre,



dictionem cœnobii Gandesiani ad Moguntinam, non ad Hildesiam pertinere ecclesiam, perdo-  
cens & asseverans: sicque ad Cœnobium reversa, inter sorores displicentiæ plurimum contra Epi-  
scopum *Bernwardum* seminavit. Instabat interea dies, quæ Illustrissima Domina *Garburgis* cœno-  
bium, quod construxerat, post prioris combustionem consecrari optavit. Verum valetudo ad-  
versa, quæ longiusculè illam fatigaverat, eam id operis obire non sinebat. *Sophia* illud laboris,  
ipsa *Garburgi* Abbatissa annuente, assumpsit perficiendum: quæ proprium ad morem suum, Episco-  
pum contemnens, Archiepiscopum *Willigisum* accersivit; quo decernente, dies consecrationis  
in commune constituitur. Archiepiscopus quasi jure id officii peracturus, *Bernwardo* litteras mit-  
tit, mandans, quatenus ad ecclesiæ dedicationem sibi adiutor occurrat. Maximæ hinc inter Epi-  
scopos disceptationes oriuntur. Ille quidem vi tentat; ac hic vim vi pellit, & omnino, perinde  
atque juris alieni invasorem, banni interpositione ab opere suspendit. Eo tandem post synodos  
multas perventum est, ut sanctissimo Papæ & Inviçtissimo Imperatori litis decisio facienda decer-  
neretur. Cujus quidem successum & determinationem, qui scire optaverit, *vitam Divi Bernwar-  
di* legat. Porro autem ipsa ecclesiæ consecratio ad [tempora] usque *Henrici*, gloriosissimi Impe-  
ratoris, qui *Ottonem* tertium sequebatur, sub dissensione agentibus Episcopis, protelata fuit, ut  
patebit in sequentibus.

*Otto tertius moritur, & Henricus Dux Bavariæ in illius  
locum eligitur.*

Inviçtissimo Imperatore & semper Augusto tertio *Ottone* Romæ, cum ingenti totius Imperii do-  
lore, vitæ ultimum diem claudente, non dimisso hæredè; Principum votis in *Henricum* Illu-  
strissimum Principem, Bavariæ Ducem, directis, ipsum Regem, deinque Imperatorem, sta-  
tuerunt. Hunc quidam filium volunt fuisse Principis *Henrici*, fratris videlicet *Ottonis Magni*. (a)  
Quod autem nonnulli [dicunt] (ut ille, qui *rhithmo*, de ecclesiæ Gandesiana constructione, scribit *Teu-  
tonico*) hunc filium fuisse *Ottonis tertii*, veritate caret; licet Dominam *Sophiam* sororem in privile-  
gio suo vocet. Cognationis enim ratione, eo ad illam vocabulo utitur. In hunc Illustrissimum  
Principem divinæ humanæque sapientiæ, omnium moderator Deus, thesaurum contulit. Huic  
*Kunegundis* Regina uxor fuit, voto quidem matrimoniali, non autem carnali copula. Lege nam-  
que conjugali quidem juncti, legem copulæ carnalis supergressi sunt [evaserunt] & supra virtu-  
tem, castitatis arcem in plurimorum hostium medio defendentes, trophæa virginitatis cœlo intu-  
lerunt. Hic inviçtissimus Princeps sororem habuit, quam *Regi Hungariæ Stephano*, adhuc gentili,  
in uxorem dedit; & ex hoc ipse *Stephanus* cum tota *Ungaria* Christi fidem assumpsit. Iste *Henricus*,  
aviti Spiritus successor, Gandesheimensi cœnobio [regali munere] non defuit. Castrum [nam-  
que] *Derneborch*, quod inter *Halberstadium* & *Warnirode* situm est, ecclesiæ Gandesianæ dedit; in-  
super & ea, quæ sequenti continentur privilegio.

*Privilegium Henrici Imperatoris primi, Regis Secundi.*

In nomine Sanctæ & individue Trinitatis, *Henricus Dei favente clementia Rex*.  
Noverit omnium Christi fidelium, presentium scilicet & futurorum, industria,  
qualiter nos concambio commutationis curtis, *Badeliska* [*Badelicka*] nominata, quan-  
dam juris nostri [curtem] *Daleheim* in pago *Ambraga* [*Amberga*] in Comitatu vero  
*Wichmanni* Comitum sitam, cum omnibus suis pertinentibus sive appendiciis, villis,  
edificiis, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumve decursibus, mo-  
lendinis, piscationibus, exitibus & redditibus, quasitis & iuvirendis, viis & in-  
viis, cultis & incultis, seu cum omnibus, quæ quolibet modo dici aut nominari pos-  
sunt, utilitatibus sanctæ Ecclesiæ Gandesheimensi, consilio & consensu *Sophiæ* Soro-  
ris nostræ, & ejusdem monasterii Abbatissæ, per hanc nostram regalem paginam  
concedimus, & de nostro jure & dominio in ejus jus & dominium transferimus. In-  
super etiam eidem ecclesiæ Gandesheimensi bannum, ad manus nostras specialiter  
pertinentem in prædicto pago *Ambraga*, quingentos arietes, quos ex debito liberi  
homines, nunc vel antecessorum nostrorum temporibus, ipsi & parentes ipsorum,  
ad supra dictum locum semper solverunt; una cum præscripta curte *Daleheim*, cun-  
ctisque utriusque sexus familiis eo pertinentibus, seu cum cæteris ejus utensilibus, si-  
mili modo regaliter largimur: Hoc quoque Regia auctoritate statuentes, ut nullus  
prædictorum liberorum alicui, præter Gandesheimensi, se subdat ecclesiæ. Et ut

X x x x 2

hæc

(a) [Alii autem ejusdem nepotem; alii item *Ottonis III.* fratrem. Hoc ultimum, conjectura dictum à quibusdam  
veritate caret. Hæc MS. *Guelpherbytanum*.]



*hæc donationis nostræ auctoritas stabilis & inconvulsa permaneat, hoc præceptum inde conscriptum manu propria corroborantes, sigillo nostro insigniri iussimus. Datum 3. Non. Septembr. indictione 8. anno Dominice Incarnationis 1009. anno vero Domini Henrici Secundi 8. Actum in Gelenheim, [Gilenheim f. Ingelenheim] feliciter, Amen.*

[In Codice Guelfebytano hæc addit Autor: Vides ô lector, quod hic Rex *Sophiam* vocat sororem suam. Ex hoc puto is, qui notâ omnibus lingvâ [sc. Teutonica] Historiam Ecclesiæ Gandesianæ contexuit, hunc fratrem dixerit *Otonis III.* fratris videlicet *Sophiæ*. Cum autem id nulus scriptorum dixerit vel Chronographorum affirmarit; firmitatis habet nihil. Arbitror autem, & hunc Serenissimum Regem ob proximam consanguinitatem, illam Dominam, scilicet *Sophiam*, sororem appellasse; quemadmodum & Otto II. Dominam *Garburgem*, Otonis M. fratris filiam neptem in privilegiis suis vocavit.]

### *De Sophia prædicta regimine.*

**D**omina *Sophia*, in regimen electa, quemadmodum antea velationis benedictionem non nisi à palligero accipere voluit, ita quoque nunc in Abbatissam consecrari à non palligero, invito sibi *Bernwardo*, noluit. Quæ ut voluntatis suæ compos evaderet, Regis atque Reginæ, aliorumque Principum aures demulcens, id obtinere curavit. Quibus pro re præfulem *Bernwardum* pulsantibus, insipientiæ cessit dans locum petitionibus. [Cessit illorum interventui Antistes, & se repellentis vesaniæ locum dedit.]

### *De dedicatione Ecclesiæ longiuscule protelata.*

**P**rotelata Ecclesiæ Gandesianæ consecratione, ob gravem magnanimatorum dissensionem, in annum usque Domini *millesimum septimum*, cum invictissimus Rex *Henricus Palatib* diem natalitium omnium Regis Christi celebraret; eò ad Principem, tam Episcopi quam Duces, confluerunt. Ubi Reverendissimis viris, *Bernwardo* & *Willigiso* comparentibus, dissensionis eoque pendentis finem facere sapientissimus Rex cogitavit. Et rem aggressus, (ut in vita scribitur *Divi Bernwardi*) prudenter perfecit & potenter. Cedente igitur à cæptis Archiepiscopo *Willigiso*, jus Ecclesiæ Gandesheimensis manet *Bernwardo*: & caritate illic integra, Antistes *Bernwardus* Archiepiscopum adiutorem sibi precibus adscivit. Decreta ergo & imperata die consecrationis, *Bernwardus*, quod optatum fuit multis diebus, perficere volens, locum accessit. Venit & *Willigisus* Archiepiscopus & alii Episcopi, ad opus venire rogati, ita, ut duodecim adunati, Rege etiam clementissimo *Henrico*, regis paramenti corusco, præsentem, maximo populorum tripudio consecrationis solennitatem peragerent; & omnibus rite peractis, ipse Rex lætabundus populum præsentem dignaretur alloquio, longam dissensionem suppeditatam illis annuncians, & ecclesiæ jus manere *Hildensemensi*. Et Archiepiscopus, omnibus coram positis cernentibus, ferulam pastoralem, quam manu tenebat, in renunciationem usurpatæ proprietatis illi tradidit. Sicque officium missæ ab Archiepiscopo, *Beati Bernwardi* consensu, solenniter peractum est. Sequenti autem die Epiphaniæ Domini, Virginum velatio solenni celebratione, præsentem Rege *Henrico* omnibusque Episcopis, à Venerabili patre *Bernwardo* facta est; & gratia Dei rebus in pace & caritate, sapientia mitissimi Principis, compositis, discessum est. Quinto deinde anno Archiepiscopus *Willigisus*, plenus dierum bonorum, ad Dominum migravit. Post quem in Archiepiscopum surrogatur Ecclesiæ *Moguntinæ* *Erkenbaldus*, Abbas *Monasterii Fuldensis*; quo post quinquennium in fata concedente, regius capellanus *Aribo* præficitur. Hic quidem tempore *Divi Bernwardi* de Gandesheimensi ecclesia verbum non habuit: verum ipso vita perfuncto, & *Henrico* invictissimo Principe jam mortuo, cum Serenissimus Rex *Conradus* Imperator & Augustus habenas regni teneret; *Aribo* Synodalibus conventionibus *Divum Patrem Godehardum*, Ecclesiæ *Hildesheimensis* Episcopum, super territorio Gandesheimensi fatigavit. Cujus tamen machinationes *Frankenfordia*, per pacionem à prædecessore illius *Willigiso* actam, septem Episcoporum testimonio invalidavit, præsentem Imperatore. At Archiepiscopus seniores *Godehardum* fatigare non cessavit, nunc ibi, nunc alias, contra ipsum querulando. Veruntamen quod optavit, perficere valuit minime. Imperatore tandem *Mersburch* Pentecosten celebrante, Archiepiscopus *Aribo* erroris sui pœnitens, cæptis finem dedit, abrenuncians causæ & juri, quod usurpasset, contra justitiam agendo. Cujus plenior in *Divi Godehardi* vita informationem, qui volet, invenire potest.

### *De obitu Domina Sophia Abbatissa.*

**D**um divum patrem *Godehardum* extrema valetudine laborare *Domina Sophia* rescivisset, jam pœnitens errati sui, quo virum talem incefferat, ægrescentem accedere curavit, illius sibi gratiam conciliatura. Ubi autem occasionem intentionis suæ reperisset, astante Clero de tri-  
vola



vola quadam pertinacia, quæ de suæ Ecclesiæ clericis contra beatum virum increverat, exordium fecit, & debitam satisfactionem promittere cœpit. Quam ille ut audivit, in futurum eam suspendi rogavit. Illa autem celerem ejus obitum formidans, item itemque in sua satisfactione, etiam lachrymando, perstitit, eamque, ut recipere dignaretur, obsecrando postulavit. Ad quam ille: Domina, inquit, paulisper reticete, & hæc, donec in festivitate S. Mariæ conveniamus, suspendite. Illa ejus verba vehementer expavescens ob celebriorem finem, quem impendere ei jam jamque videbat: Utinam, inquit, o pater dilecte, tam diu vita nostra nobis super sit, donec hoc tempus venerit. Ille fortiter collectis viribus apertisque oculis, ait: in potestate quidem Dei vita nostra exitusque verè consistit. In veritate tamen, quæ Deus est, dico vobis, quia in festivitate S. Mariæ, ubi Deus voluerit, simul erimus, ibidemque coram veraci testimonio, & de his & de aliis, quæ inter nos dissident, tractabimus. Et his dictis reticuit, oculosque depressit. At illa nimio stupore pavescens, silenter astantibus dixit: Heu me miseram! Haud tamen ipsum amplius inquietare præsumsit, sed humiliter, sibi indulgentiam & licentiam dari, petivit. Quod ubi audivit pius pater, breviter eam de sacræ religionis observatione commonuit, & de obedientiæ imperfectione coarguit, sicque elevata dextrâ, eam benedictione munivit. Ubi autem Divi patris obitum *Sophia* audivit, eò Sorores atque Presbyteros mittens cum oblationibus suis, meritis illius sese commendari fecit. Verborum insuper illius memor, ad venturam Deiparæ Virginis Mariæ assumptionem primum, deinde etiam ad natalitium illius diem pavens, prophetiam expeclavit. Quæ tamen, incipiente sequenti anno, ante purificationis Virginis ac matris solennitatem 3. Kal. Februar. ex hac vita migravit 1037.

### De (a) disceptationis præscriptæ judicio.

Non quidem propositi mei est facta judicare, sed scribere. Verum dissensionis tantæ causâ considerata, illud, quod mihi videtur, inferre curabo. Cum cœnobium Gandesianum à sui etiam fundatione liberum ab omnibus, & Romanæ sedis immediate subjectum fuerit: nullus Episcoporum vel etiam Principum, aliquid proprietatis sibi usurpare in illo poterat. Præripuit enim omnibus *sedes Apostolica* jus, jurisdictionem & proprietatem, fundandi & etiam fundati cœnobii. Deindeque *Imperialis Majestas* liberum reddidit, ut satis superque ex privilegiis claret. Itaque cum non subessent jurisdictioni Episcoporum, liberam habuerunt potestatem vocandi Episcopum, in quem illis complacuisse, vel ad benedicendam Ecclesiam, vel ad velandas virgines. Verum si ad dissensionis causam oculos reflectimus, obvium fit, quomodo Episcopus Moguntinus proprietatem ecclesiæ & jurisdictionem illius, quam nunquam habuit, & usurpare voluerit, & usurpatam defendere: Antistes autem, Hildesianorum auctoritatem & proprietatem, à fundatione ipsius cœnobii prædecessoribus suis nunquam negatam, etiam ultra ducentos annos concessam, relinquere noluerit, ac contra invasorem laboravit defendere. Non ergo tuendæ libertatis gratia pugnatum est. Quam enim Hildesianis Episcopis negare proprietatem, eam in Antistitem Moguntinum transferre voluerunt. Omnis igitur controversiæ illius causâ est, quod principis non restiterunt, privilegia libertatis defendendo, sed liberè magis Episcopos Hildesianos intromittendo. Unde privilegiorum nulla in dissensione fit mentio; (b) nisi quod semel incognitas eorumque prodixerunt litteras, quibus auferendi potestas rescatur aliquid videlicet illorum, quæ data fuerunt ad locum. Hujus autem lectionis ratio fuit. Nam Divus *Bernwardus* cum se contempti haberi videret, humanum quid passus, de donatis, tum à prædecessoribus suis, tum etiam à se ipso ad ipsum locum, aliquam poenitentiam gerebat, ut clarius in vitæ illius descriptione liquet. Omnis ergo illius dissensionis & controversiæ finis exemptionum fuissent privilegia, si ad libertatem tuendam pugnatum esset. Sed proprietatis, longiuscule uni concessæ, auctoritatem alteri, qui eam nunquam noverat, dare, litem construxit, & tantorum malorum fomitem ministravit. Quæ autem illis auferre, & huic dare voluerint, Deo judicium constat.

### De Athelheidis prima electione.

Illustrißima fœmina Domina *Sophia*, hujus nominis prima seculo exempta, venienti de *Nivella* sorori IV. (c) ejusdem, *Athelheidi* nomine, vota Sorores cœnobii Gandesiani dantes, illam in Abbatissam sibi elegerunt. Quam confirmatam, nescio quis Episcoporum coram Imperatore *Conrado*, maximo cum honore benedixit. Hic *Conradus* est, qui *Henrico*, hujus nominis Regi secundo, Imperatori autem primo, successit. Fuit autem Domine Abbatissæ sanguine junctus. Obiit vero idem anno consecrationis eodem, videlicet 1040. Eadem autem *Athelheidis* in *Qvedelingebruch* Abbatissa fuit; at brevi tempore vixit.

X x x x 3

De

(a) In MS. est: Disceptationis præscriptæ judicium, (b) in MS. legitur ita: præter eum articulum quem in vita *Bernwardi* reperis, quod videlicet *Willegisus* Archiepiscopus ad altare fecerit legi eorumque incognitas litteras, quibus auferendi potestatem rescatur literæ, si fortassis aliquis donatorum ad ipsam Ecclesiam cupidus, vel subtrahere vel auferre non nihil laboraret, (c) imo sororis *Mathildis* filia.



*De Beatricis electione.*

**I**llustrissimâ quoque sc̃mina Domina Atelheide rebus humanis exemptâ, Serenissimi Regis *Henrici*, hujus nominis tertii, postea imperatoris secundi filiam, *Beatricem* vocatam, in detur-  
 ctâ sedem locavere. Quia vero de Imperatoribus hic agitur, non ab re judicaverim, si de illis  
 pauca perferamus, maxime, cum de hoc Henrico Chronographi diversa senserint. Alii  
 enim hunc Conradi generum, alii filium dicunt fuisse. Illorum testimonio, qui hunc *Imperatoris ge-  
 nerum* fuisse autumant, verba afferam. *Conradus* Augustus, natione Francus, *Gisela*, de antiquo &  
 glorioso Carolorum sanguine oriundam, uxorem habuit, & multas leges condidit; quarum trans-  
 gressor *Comes Lippoldus* accusatur. Qui Augusti faciem reveritus, latissimam intravit solitudinem,  
 ibique omnibus incognitus cum uxore vixit, vitæ redimendæ gratia. Contigit autem inter ve-  
 nandum, Cæsarem ibi pernoctare, qua nocte *Lippoldi* uxor peperit. Dum autem Cæsar obdormi-  
 tasset, vocem audivit, dicentem: *accipe, accipe, accipe.* Ad quam vocem tremens, item audi-  
 vit: *redde, redde, redde.* Denique: *fuge, fuge, fuge;* *Conrade, hic puer erit tuus gener.* Quam  
 ob causam puerum occidi iussit, & in necis signum sibi linguam illius deferri. At qui occidere ius-  
 si fuerant, elegantiam pueri moti, vivum dimittentes, loco linguæ, necis imperatæ indicem lepo-  
 ris linguam, Cæsari præsentaverunt. Inde casu *Henricus Saxonum Dux* iter carpens, puerum tam  
 pulchrum videns, filium ad optavit, sibi que cognominem fecit. Puer crevit, omnium oculis ob  
 pulchritudinem & prudentiam placuit. Ejusdem specie & moribus *Conradus* Imperator delecta-  
 tus, ab Henrico Duce eum sibi dari in obsequium petivit. Adolescentior factus, miro omnium  
 affectu amabatur, adeo, ut suspicione adureretur Cæsar, timens, ne, ob tantum affectum &  
 favorem, quem videbat in omnibus, ille esset puer, quem dudum occidi iussisset. Quapropter  
 ex Italicis oris Reginae litteras scripsit, quibus perimendum mandavit adolescentem. Dedit ita-  
 que juveni litteras, *quales David quondam Uria.* Contigit autem, adolescentem apud quendam  
 sacerdotem hospitari; qui adolescente quiescente, dum illius res percutaretur, litteras vidit, &  
 novitatum cupidus caute, ita ut legere possit, illas aperuit. Ubi vero adolescentis mortem litte-  
 ris mandari comperit, scelus exhorrens, cautissime necis mandatum abrasit, ejusque in locum,  
*ut Cæsaris filia*, mox litteris visis, *adolescenti daretur*, scripsit. Litteris acceptis, & elegantiam  
 juvenis videns Regina, haud distulit, quod (a) imperatum absque mora fuerat fieri, perficere,  
 filiamque suam nuptiis dedit. Quod ubi Imperatori indicatum fuit: *contra*, inquit, *Dei voluntatem  
 non possumus.* Porro autem cum prole mascula Cæsar careret, generum suum in filium adoptavit,  
 Regni que & Imperii habuit successorem. Hic est *Henricus*, in numero Regum hujus nominis ter-  
 tius, Imperatorum autem secundus. Hic eo in loco, quo pater & mater eremum colebant, mo-  
 nasterium virginum sollemnissime ædificavit, dictum *Heranga* [Herse; sed hoc antiquius] in di-  
 ctione Padebornensi. Hujus filia fuit *Beatrix*, quæ Atelheide defuncta, in abbatissam electa fuit.

*De ipsius Beatricis regimine.*

**E**A ipsa Beatrix Abbatissa super rerum ecclesiæ Gandesianæ mala dispensatione ad *Vistrem* Pa-  
 pam *tertium* accusata, Romam perrexit; & aliquot ibidem dies morata, non solum summi  
 Pontificis gratiam recuperavit, sed etiam munus benedictionis atque libertatis privilegium  
 obtinuit.

*De Atelheidis secunda electione.*

**B**eatrice & vita & officio perfuncta, in Atelheidin illustrissimam Dominam vota fundentes, Ab-  
 batissam sorores elegerunt. Quam confirmatam, licet diu rexerit, præter tamen consecra-  
 tionem eam abiisse, scribunt; quam vis genus illam commendat & tempus. Non fuit Beatri-  
 cis præcedentis soror, quædam Chronica falluntur, quæ duas Atelheides simul post Beatricem  
 describunt. Nam tertia Adelheidis, quando rexerit, nullus fidelior [testis] quam Clusini cœ-  
 nobii foundationis litteræ. Illa Atelheidis secundo combustum monasterium dedicari fecit. [In  
*Codice Guelphibitano sequentia hic leguntur*: Licet nonnulla Chronica nonnullæque schedulæ, post il-  
 lustrissimam sc̃minam Dominam *Beatricem*, illius sororem *Atelheidin* in defunctæ locum surroga-  
 tam velint: hoc tamen nulla veritate fultum, nostra privilegia ostendunt; quibus citra omnem du-  
 bitationem credendum est, cum & in multis aliis locis, tam de numero annorum, quibus præfue-  
 runt, quam de illis, quæ Abbatissæ gesserunt, *incerto illa autore conscripta* nihil certi afferant. Quam  
 enim illi Beatrici successisse describunt sororem Adelheidin, non immediate illam secutam scimus.  
 Illa enim est, quam huic, Clusino videlicet cœnobio, fundatricis dignamur honore, ut patebit.  
 Elegerunt itaque Beatrice vita functâ, Generosam Dominam, *Atelheidem* nomine, cujus quidem  
 genus nusquam litterarum offendi. Hanc electam Archiepiscopus Parthenopolitanus in Abbatif-  
 sam consecravit.]

De Fri.

(a) Quod imperatum absque mora fieri legit, MS.



*De Frederuntha electione.*

Ubi in fata Adelheidis secunda concesserat, in generosam Dominam *Frederuntham* sororum vota ceciderunt. Quam electam & confirmatam, Reverendus pater Dominus *Dudo, Paderfontana* civitatis Antistes, consecravit. Hujus Abbatisiæ temporibus lux cœlitus super monasterium Gandesheimense diffusa, ipsum maximis splendoribus implevit atque illustravit: denique cæcis, surdis, debilibus, claudis & id genus aliis, divina gratia sanctitatis beneficium eò loci concessit, multis miratu dignis eodem tempore contingentibus. Minime tamen litteris commendatum reperi, quonam loci? an videlicet in communi omnibus ecclesia, an ad virginum ibi quiescentium busta, sint facta miracula. Non abnuo etiam, multa, sanctitate primæ institutionis, virginis apud Deum valuisse & hodie posse, ob vitæ cœnobialis integritatem, qua mundo claruerunt.

*De Agnetis prima electione.*

Ubi inclyta Domina *Frederuntha* inferiis celebrata fuit, Illustrissimam fœminam Dominam *Agnetem*, Henrici Imperatoris sororis filiam, in defunctæ sedem elegerunt. Hanc ob juventutis inexperientiam multis ecclesiam damnasse ferunt, & in consecratam diem suam obivisse extremum.

*De Atelheidis tertia electione.*

Posteaquam Domina *Agnes* rebus humanis valescit, in unum adunatæ sorores, in religiosissimam matrem, moribus maturam, Dominam *Atelheidin* vota dirigentes, ipsam in Abbatisiam elegerunt. Hæc *Henrici Regis quarti*, Imperatoris autem tertii, filia fuit; quæ, quam generis nobilitate inclaruit, tam vitæ integritate ac morum probitate, ut nostra & tenent & loquuntur de illa privilegia, resplenduit. Hæc *quinti* quoque *Henrici Regis*, Imperatoris autem quarti, soror fuit. Et quia de Imperatoribus cœpimus, libet pauca, *Atelheidis* hujus gratia, de eisdem commemorare. *Henricus* itaque Rex, tertius hujus nominis, Imperator autem secundus, ubi mortem sibi celerem futuram intellexit, quia & *Goslariam* dilexit (ubi monasterium Sanctorum *Simonis & Judæ* construxerat) & *Spiram*; utrobique manere mortuus voluit. Intestina (a) corporis cum corde *Goslariam* deferri mandavit: cadaver autem, ita istis vacuum, *Spira* jussit sepeliri. Vir bonus fuit, cui probitas & pietas nomen dedit.

Huius filius ejusdem nominis successit, ætate puer: erat enim (ut ajunt) vix senos natus annos. Porro Illustrissima *Augusta Agnes* mater, Regis vicem fungens, denis ferme annis negotia totius Imperii rexit. Post quos ubi filium Regem leviuscule agere, & plurima regno impendere mala, quibus contraire non posset, vidit; pertæsa laborum, ad monasterium *Frueriam* se contulit, illicque cum aliquot annos religiose vixisset, *Romam* tandem adivit. Ubi aliquo tempore in Dei amore peracto, vitæ terminum attigit, sepultaque in ecclesiâ Divæ *Petronellæ* honorifice, in tumba marmorea quiescit. Hæc est mater *Henrici*, de quo loquimur, & *Atelheidis*, de qua agimus, avia [in Cod. *Guelphob.* hæc addit autor: *Beatrix* autem (nempe *Abbatissa* supradicta) matrem habuit, filiam Regis Angliæ, *Ehmildam* nomine.]

*Henricus* autem hic, pater *Atelheidis*, quartus hujus nominis Rex, tertius vero Imperator, plus potestate quam animi moderatione regens, plurimorum biles movit: maxime autem Saxonum animos amaricavit, eo quod *Ortonem* Ducem Saxonie sive *Brunsvicensum* Ducatu *Bavariæ* privasset, & *Welphoni* Svevo contulisset. Ille est *Otto*, qui monasterium *Northemense* in honorem Divi *Blasii* Præsulis ac Martyris ædificavit. Huic erant filii *Sifridus*, *Henricus* & *Cono*, quos, ubi Ducatu *Bavariæ* privati fuerant, primum Ducatus honorem & nomine privari contigit; & Comites *de Homborg*, *de Dassel* & *de Everstein* vocati fuerunt, unusquisque à loco, quem sortitus (patre distribuente) fuerat. *Sifridi* filius *Sifridus* monasterium *Amelungsborn* ædificavit, & sine liberis mortuus, in capella N. cum patribus in *Northem* sepultus quiescit. *Henricus* à militibus *Trajectensis* Episcopi interemptus perijt. *Cono* frater ejus à funebus quibusdam hominibus noctu percussus, violenta morte finem vitæ sortitus fuit.

Ille Rex *Henricus* castrum *Hartesborch*, unde Saxones frequenter impugnavit, construxit. At Saxones, *Otonis* Ducis prædicti auxilio, castrum ipsum destruxerunt. Et licet plusquam quinquies contra Saxones prociuctum movisset, nunquam tamen, nisi semel cruenta victoria illi cessit: in qua & *Gebhardus*, pater *Lotharii* postmodum Imperatoris, occubuit ex parte Saxonum. Anno Domini 1106. divina clementia regis (b) forefacta purgante, & hominum malitiâ sufflante, *Henricus* hic resignare filio regalia compellitur, & filius patrem (quod nefas est dicere) persequitur. Paulo post, potentissimus quondam Princeps peregrinus, & pauperimus, quondam orbis Dominus, moritur, & *Henricus* filius ejus, nominis quidem hujus Rex quintus, Imperator autem quartus, ad voluntatem & regno potitur & imperio jam adepto, anno videlicet 1106. scilicet jam libere & absque formidine. [Sub isto constructum est Cœnobium *Clusinum*, ut patebit.]

De Re.

(a) Interiora MSC. (b) delicta, crimina. Forfait Gallis,



*De regimine Atelheidis ejusdem.*

**I**llustrissima itaque Domina Atelheidis, ad munus abbatissatus adscita, in ultimum pene annum Henrici quarti imperatoris, Regis autem quinti, fratris sui persecutoris, perduravit. (a) Hujus illustrissimæ Dominae Atelheidis sub regimine *Clusense* monasterium ædificatum est, & illius *penultimo* anno consecratum. Quod etsi non legimus fundasse simpliciter; male enim meritorum negligentia oblitteratum est, quis vel fundaverit vel adjuverit; eam tamen & fundum & circumjacentia dedisse, privilegia nostra tenent, & tertius Imperator *Lotharius*, confirmans testatur. Unde non negamus illustrissimæ Dominae Athelheidi, tam genere quam moribus vitæ polenti, fundatricis nomen. Vixit adhuc anno Domini 1124, quo anno *Clusinum* cœnobium fuit consecratum.

*De Bartha prima electione.*

**P**ost decessum ab hoc mundo Illustrissimæ Dominae Atelheidis tertiæ, in Dominam Bartham vota sororum concurrunt: quam electam & confirmatam, Antistes Padefontanæ civitatis in Abbatissam consecravit anno 1126. [Hæc est illa, quæ ad votum *Geltmari* viri nobilis *Ladovessen* Clusino cœnobio dedit, & Clusinum ipsum cœnobium visitans, donationem confirmavit, 1127.]

*De Secunda Lutgardis electione.*

**I**llustris Dominae Barthæ post obitum, omnium votis generosa Domina *Lutgardis* cœnobio Gandefiano præficitur. Quam, *Lotharii* Regis rogatu, *Bernhardus* Hildesiarum Præsul *Goslarie* in Abbatissam consecravit anno Domini 1134. Hanc cum monachis Clusinis gravem & diuturnum conflictum habuisse, antiquiores libri testantur, sed diffensionis causam non afferunt. Nos autem [ut ex privilegiis capimus, rationem] assignabimus illam. Cum tempore constructionis hujus cœnobii, scilicet Clusini, pene nullum esset in Germania monasterium, in quo vita cœnobialis ad normam Divi patris *Benedicti* floreret, sed omnes, limitibus transgressis, suæ faverent inventioni: divina interim revelatione *Cluniacensis reformatio* introducta, & ab aliquibus monasteriis sponte assumebatur aliquibus etiam invitis imponebatur, & maximo suæ integritatis rumore terras perfudit. Porro autem, cum *Lutgardis* ecclesiæ Gandefianæ præfecta, melioris institutionis famam audivisset; fratrum hic degentium & morum & vitæ instabilitatem cognitam habens, indoluit, & ad corrigendam vitæ cœnobialis imperfectionem operam dare cogitavit; quod nostris privilegiis testantibus certo scimus. Quales enim erant [fratres] quando instituebatur [cœnobium] tales etiam introduxerunt fundatores. Quos ubi ad regularis traditionis tramitem corrigere voluit, refractarios reperit. Grave enim est, quod semel imbitum, rejicere; grave nativum situm terræ auferre; grave pellem mutare antiquam. Cæterum ubi aliquantos recalcitrare sibi vidit, aliquantos vero votis suis occurrere: hos materno quidem affectu complectens, illos vero potestatis suæ in monasterium Clusinum ferula compellens, assumere *reformationem Cluniacensem* cogit. Quæ ut manu teneretur hoc in loco, & primum ipsius reformationis fratres Clusam advenit: deinde ad illam necessaria, & donationum factarum confirmationem & libertatum privilegia, ab Imperatore *Lothario tertio* huic monasterio impetravit, anno Domini 1134. Hic est *Lotharius* tertius, qui monasterium, *Regale Luther* dictum, fundavit: cui *Henricus*, quintus hujus nominis Rex, quartus autem Imperator, *Ducatum Saxoniam* dedit, eo quod *Magnus* filius *Ortolphi* Ducis Saxoniam filium non haberet. Duas enim tantum filias habuit, quarum una *Aleke* nupsit *Ottoni* Comiti genuitque *Albertum* cognomento *Ursum*: altera *Wulfbildis* Duci Bavarie *Welfoni* nupsit; & peperit ei *Henricum* cognomento *Leonem*, patrem illius, qui in *Brunsvick* quiescit, de quo post hac dicitur. Iste *Henricus* Imperator *Halberstadtium* destruxit; *Brunsvick* oppugnavit quidem obsidendo, at non expugnavit. Saxones enim adunati, duro Marte aggressum, finibus suis expulerunt. Quin & *Slavos*, eodem tempore Saxoniam devastantes, valida manu; plurimis ex illis prostratis, procul egere. Post multa tandem discrimina Imperator ille *Henricus* ultimum diem clausit 1135; quo anno invictissimus *Lotharius* cœpit, & gloriosissime tota vitæ suæ tempore rexit, & de omnibus triumphavit, vir bonus & rectus, Anno vero 1138. Deo atque nature concess-

(a) In MS. hæc leguntur ita: Clusense cœnobium consecratum scimus anno [Henrici] decimo nono, qui fuit 1124. quo quidem anno huic Monasterio Venerabilis illa Abbatissa, & sylvam, & ut apertius loquar, ligna Monasterium circumdantia, una cum fundo, in quo succerebant, donavit. Hanc ut cœnobii Clusini fundatricem dicamus, ratio, ut judico, perurget, quam ex privilegiorum nostrorum tenore veniamur. Cum enim constet, Monasterium non uno anno & ædificatum & consecratum simul esse, etiam ipso consecrationis anno huc loci adducti fratres sola habitatione gauderent, & ob id nihil lignorum, quæ usque tamen ad portam Monasterii creverant, in potestate haberent; necessitate compulsi circumstantia ligna inciderunt, tam ad ignis fomenta quam ad construenda ædificia necessaria. Quod ubi Abbatissa *Atelheidis* rescivit, non moleste tulit, sed, ut privilegiorum verberatur, in hoc quoque materno affectu fratribus compatiens, ipsam sylvam, quæ hodie gaudemus, dedit. Hoc fuit, ut diximus, anno Domini 1124. testantibus id ipsum privilegiis nostris. Quare autem à nonnullis juxta forem posita sit, nos præterit, cum una intermediet.



concessit, & in monasterio *Lutsher*, quod ipse ædificavit, humatus quiescit. Huic *Conradus*, Henrici superioris Imperatoris sororius successit: & hic 1152. mortem obiit, cui successit *Fridericus* Svevorum Dux, Friderici Ducis filius. Hucusque de Imperatorum successione: ad Abbatissarum ordinem revertendum.

### De quarta Atelheidis electione.

Post illustrissimæ Lutgardis secundæ [de nostro cœnobio quam optimè meritæ] ab hoc mundo discessum, in quartam Atelheidin, filiam *Friderici Comitis Palatini*, votis directis elegerunt in Abbatissam. Hæc suo tempore tertio combustum monasterium Gandesianum, decentissimè reædificavit, & ecclesiam, fenestris, picturis, tabulis, & id genus aliis ornamentis decoratam, à quinque Episcopis consecrari fecit. [Huic cœnobio, videlicet Clusino, haud defuit, sed in sublevandam paupertatis egestatisque fascem duo molendina dedit. Unum quidem, *De Breylmole* dictum, recepto à nobis manso uno agrorum in *Sebechtesen*, perinde atque concambii jure tradidit: alterum ad orientalem plagam oppidi Gandesheim, *De Hasselmole* jam dictum, à duobus fratribus nobis assignatum & ab eisdem emptum, confirmavit, ut plenius in privilegiis patet. 1159.

### De quinta Atelheidis electione.

Quarta Atelheidi vita post triginta [triginta tres *Col. Guelf.*] annos, quibus rexit, perfuncta, in quintam illius nominis Atelheidin, generosam Dominam Hassiæ [ex Hassia] vota sua sorores dirigentes, eam in sedem vita functæ posuerunt. Quam electam Hildesiarum Antistes *Adologus* in Abbatissam benedixit. Hanc ecclesiæ bene præfuisse, veterum monumenta declarant. Cæterum Duci *Henrico*, ab Imperatore *Friderico* proscripto, post reditum bona illius restituit, tabulâ quadam Divi Georgii in compensationem restitutorum receptâ. Hæc ubi ad Imperatoris aures pervenerunt, factum Abbatissæ aversabatur, & iram denunciavit eidem; quam tamen postmodum placavit, multis interpositis precantibus. Quia autem hic de Duce proscripto dicitur, restat, ut de illius proscriptione nonnihil in medium afferamus. Dux iste Saxonix *Henricus* Friderico Imperatori primo maxime dilectus fuit ob egregia facta, quæ tum alias, tum maxime Romæ in Duce experiebatur. Quam enim erat potens armis, utpote totius Saxonix Dux, & pene à mari, hoc est à *Dacia*, usque ad mare, hoc est, *Siciliam* dominans; tam erat & potens consiliis, huic erat cognomen Leonis, unde dicebatur *Henricus Leo*, de cujus patre in superioribus dictum est. Ob igitur gratiam, qua in Principem ferebatur Cæsar, *Marchionatum* illi *Austria* contulit, quem fecerat Ducatum, eximendo à jurisdictione *Bavariæ*. Uxorem habuit filiam Regis Angliæ, *Machtildin* nomine. Plurimas ecclesias fundavit: in *Ratzeborg*, in *Lubek*, in *Brunswiga S. Blasii*, in qua requiescit cum uxore, item *Johannis Baptista*. Slaviam subjugavit, illorum Principem *Nichilo* trucidando, & Episcopos instituendo: *Gheroldum* in Oldenborch, *Everoldum* in Ratzeborch, *Eruonem* in Magnopoli. Hierusalem devotionis causa adivit, & maximo cum honore à Rege Hierusalem invitatus fuit, & etiam à *Soldano* plurimis donatus. Plusquam mille marcas argenti ad templi luminaria dedit Templariis iste *Henricus*. Paulo post *Fridericus* Imperator, *Mediolanen-* sibus succensens, contra illos arma paravit. Cum autem cæteri Principes connivissent Cæsareæ Majestati, *Henricus* Saxonix Dux solus videbatur gravatim ferre Imperatoris sententiam. Quod ubi Imperator vidit in tam sibi dilecto; perinde atque amicus amico genu flexit: me, inquit, ne deseras, rogo. At, nescio quo sidere, sui nescius *Henricus*, nec supplicem, (ut par fuisset) levavit, nec roganti annuit. Mox ergo Imperatrix Regem levare festinavit, eidemque dixit: mi Domine, surge, & casus hujus meminerit Deus. *Jordanus* autem quidam Dapifer, Duci adulando, dixit: Domine Princeps, Imperii corona ad vestros pedes hodie cecidit; ventura est dehinc ad caput. At male mentibus fuit; & certe malo omine ista Cæsaris ad Principem humiliatio facta. Exinde enim fortuna dorsum *Henrico* Principi ostendit. Ubi namque alii Principes, *Henrici* Ducis opimis rebus invidi, Imperatorem ipsi Duci offensum rescivissent, majores stimulos illius iræ addentes, Ducem variis accusationibus Imperatori detulerunt, adeoque animus illius contra *Henricum* accendebatur, ut *Herbipoli* curia indicta, omne feudum, quod vel ab Imperio, vel Episcopis Dux Saxonix sibi collatum habuerat, Cæsarea auctoritate illi auferret: demumque Ducatu exemptum, *Goslaria* prosciberet. Quod molestissime Dux potentissimus ferens, contra Imperium vim maximam exercuit; & contra Ducem, cui Ducatum Imperator dederat, arma ferocissimè movens, *Thuringiam* præliis & incendiis devastando, *Northusen*, *Molhusen*, civitates Imperiales, *Vulcano* dedicavit; *Halberstadium* direptum incendit; opulentissimam civitatem *Bardewick* destruxit, ut modò etiam videtur; cujus in locum vel propè, *Lunenborch* ædificata est: nam primum tantum castrum fuit, unde urbi nomen accessit. Proscripto etiam Duce, *Philippus* Archi-Præful *Coloniensis* cui cum Duce jam tribus annis gravis dissensio fuit, nactus ad suam sententiam tempus, tribus millibus equitum, & innumerabili peditum multitudine vallatus, Ducatum illi *Westphalia* & *Angria* belli jure abstulit; qui Ducatus hodie usque Episcopis *Coloniensis* ecclesiæ manet confirmatus, adeo, ut in Pontificem iussu, id electionis approbatione obtineat, quod carnis propagatione non scivit. Mox



siquidem titulus Westphaliæ & Angriæ Ducatus illi datur, & adscribitur Ducis meritum. Imperator etiam *Lubecam* accedens, diu oppugnatam in deditionem accepit. Verum quis contra Deos arma impunè tulit unquam? Plurimum licet sævisset contra sententiam Cæsaream Henricus; ubi tamen se non posse subvertere edictum vidit, fulmini vel sero cessit; & pace post multiplicatas Principum intercessionem obtenta, Cæsareæ sese prostravit atque subiecit majestati. Plectitur igitur ob culpam læsæ Majestatis exsilio pœna, & circa festum Divi Jacobi Apostoli Anglicas oras petivit cum uxore *Mechtilda*, Regis Angliæ filia. Ubi cum triennio vitam exul peregisset, clementissimus Imperator, intercessorum instantia ad misericordiam flexus, mitiorem sententiam dedit, & exulem in patriam revocari indulxit; demumque, quantum libuit pro bona sua voluntate, reduci Principi restituit. Huic ita reverso Domina Abbatisa bona restituit: ob quam causam Friderici Imperatoris, ut vetustissimi libri continent, iram meruit. Verum, quæ restituerit, litteris mandatum non est: tabula vero ipsa, quam in amicam compensationem Abbatisa accepit, hodie usque in ecclesia Gandesiana est, & præcipuis in festis una cum reliquis sanctorum in palam proponitur. Sed (a) nec tot gemmis ornata, quot ante habuerat; quin & duæ statuæ vel columellæ aureæ non comparent. Cæterum propter dicendorum rationem non oblitterandum putavi, quod Henricus iste tres habuit filios, *Ottonem*, *Henricum* & *Wilhelmum*. Ipse Henricus finem vitæ adeptus, in ecclesia Divi Blasii in *Bruswick* sepultus fuit.

Noveris optime Lector, quod *Otto Frisingensis Antistes* Chronographus, quendam Henricum Saxoniam Ducem, proscriptum ab Imperatore *Conrado*, introducit; de quo similia nostris multa dicit, multa etiam discrepantia; quem dicit generum fuisse *Lotharii* tertii. Verum ego Saxonicos scriptores secutus sum, qui nostrum Henricum à Friderico proscriptum, & metro & prosa declamant, Imo in Abbatisæ illius, cujus gratia historiam persequimur, monumentis offendimus, quod iram Friderici meruerit, eo quod proscripto bona reddidit. In sequentibus quoque patebit, cum de *Ottonem*, proscripti filio, differendum, & ex sequentibus liquet.

### De Mathildis prima electione.

Vita pariter & officio Atelheida quinta perfuncta, ejus in locum *Mathildis* Generosa Domina, Comitissa de *Woldenberg & Wolrode* (b) surrogatur. Hanc *Præstinius* Episcopus & sedis Apostolicæ legatus *Guido*, in Abbatisam, *Ottonem* quarto Imperatore præsentem, in *Norheim* benedixit.

Iterum de Imperatoribus ut aliquid introducā, *Otto* memoratus exposulat. Friderico Imperatori *Henricus* filius successit 1190. Quo vita & Imperio perfuncto 1197. nonnulli etiam in *Ottonem*, Henrici Ducis Saxoniam quondam proscripti, filium, in quem & Papa *Innocentius tertius*, ob crudelitatem Henrici fratris Philippo adversus, consensit. *Richardus* quoque Rex Angliæ, *Ottonis* avunculus, & Archiepiscopus Colonienfis, partes *Ottonis* juverunt. Mandante igitur Papa, *Otto* Rex benedicitur, oriturque inter Philippum & *Ottonem* bellum grave non paucis annis, dicentibus etiam quibusdam, ut *Vincentius Beluacensis* testatur, eum non debere imperare, cujus pater Friderico fuisset obnoxius læsæ majestatis crimine. Ecce bone lector, hic habes testimonium de Henrico proscripto, qui fuit sub Friderico primo. Post varios tandem prætorum anfractus, *Philippus* dolo interfectus occubuit, & naturæ quidem coactus debitum solvit; *Ottoni* autem etiam nolens imperium derelinquit. Is itaque post Philippi mortem Romam petivit, illicque in Imperatorem benedictus, Augusti nomen obtinuit. Filiam deinde Philippi Regis in uxorem accepit; ac duodenis summam rerum annis postea quam rexerat, & vita excessit & Imperio. Hic primus Henrici proscripti filius fuit: de fratribus autem illius insequentibus, cum ad secundam *Mathilden* ventum fuerit, dicetur. [Mathildis illa, quemadmodum pater illius & fratres, *Clusico Monasterio* faultrix fuit. Ex parte enim patris & filiorum assensu, nonnullos agrorum mansos in *Oldengandersheim* habemus: & illa plurimum patri *Bartoldo*, hujus cœnobii Abbati primo collaboravit. Fuit autem filia *Borchardi* Comitis de *Woldenbarghe*, soror autem *Hermanni* & *Henrici* Comitum, ut nostra pandunt privilegia. Miror autem, quare à nonnullis Chronicis vel potius schedulis pater hujus Domine appelletur Comes de *Waltrode*, cum nostra privilegia mentiri non posse judicem.]

### De (c) regimine Mathildis ejusdem.

Generosæ hujus Domine Mathildis tempestate præsul Hildesianus, *Herbertus* nomine, maxima vi proprietatem in ecclesia Gandesiana & Monasteriis adjacentibus sibi usurpare laborans, plurimas tribulationes Abbatisæ subministravit. Quas ubi ob nimietatem suis viribus repellere Domina Mathildis non quivisset, contra ipsum Antistitem Apostolicam sedem appellavit, & propria etiam

(a) Verum multæ gemmæ ab ipsa tabula cernuntur ablatæ; quin & duæ columellæ aureæ, quæ adornabant tabulam non comparent. MSC. (b) Hoc de *Wolrode* (s. Woltingerode) ab ipso autore in MSC. Codicere futatur, ut patebit ex iis, quæ inde sumta paulo post sequuntur, (c) In MSC, titulus est; de defensionis libertatis per Mathildem.



etiam in persona Romam adivit ; Ubi dissensionis exortæ & motarum causarum agens, victicia libertatis privilegia, ab Innocentio tertio Pontifice summo obtenta, Gandesiam lata admodum secum asportavit.

*Privilegium Innocentii Papa tertii.*

**I**nnoctius Episcopus, servus servorum Dei, dilectæ in Christo filie Machtildi Abbatissæ monasterii S.S. Anastasii & Innocentii in Gandesheim, ejusque sororibus regulariter institutis. Prudentibus Virginibus, quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanitatis [sanctitatis] jugiter se preparant ire obviam sponso, sedes apostolica debet patrocinium impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursum, aut eas a proposito revocet, aut robur (quod absit) Sacræ religionis enervet. Ea propter, dilectæ in Domino filie, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium in Gandesheim, quod ad Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, & in fundo & proprietate Beati Petri noscitur esse constructum, in quo divino estis obsequio mancipatæ, ad exemplar felicitis recordationis Agapiti & Joannis prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, cum clericis & ministerialibus omnibus, ad idem monasterium pertinentibus sub Beati Petri & nostram protectionem suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Canonicus ordo, qui hactenus est observatus ibidem, perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis & vobis succedentibus ac illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est, cum civitate, moneta, teloneo ac foro & omnibus pertinentiis suis infra civitatem, ecclesiam S. Mariæ, in qua est monialium conventus, ecclesiam S. Bonifacii in Brunteshusen, ubi sunt moniales inclusa & Præpositus regularis: monasterium de Clusa, ubi sunt monachi nigri, & ecclesiam S. Georgii, quæ omnes juxta civitatem Gandesheim sunt in fundo & proprietate Beati Petri constructæ: Villicationem in Dengte cum ecclesiis & omnibus pertinentiis suis: Villicationem in Hollenstede cum omnibus pertinentiis suis: Villicationem in Herhusen, [Herrensen] cum omnibus pertinentiis suis: Castrum Wantzeve cum parochia, villicatione & omnibus pertinentiis suis: Erike, [Erico] Dengstede [Tennestede] cum ecclesiis, [villicationibus] & omnibus pertinentiis suis: Villicationem in Geveldehusen cum parochia ecclesiis & pertinentiis suis: Castrum in Bruggem cum ecclesiis & quingentis regalibus mansis, [forestis] omnique sylvatica utilitate: Castrum Dernesborch: [Dernesborch] villicationem Wichusen cum ecclesiis & omnibus pertinentiis suis: Alvelingerot cum ecclesiis & moneta & omnibus pertinentiis: Crucht, Calheim, Bilderstorp cum ecclesiis, vineis & omnibus pertinentiis suis: ecclesiam Rittingeroth, castrum Dalheim cum ecclesiis & omnibus pertinentiis: ecclesiam in Kerkrichberge & capellam in Schusen: & Decimas, quas in Coloniensi, Halberstadenfi & Hildensemenfi diocesis possidetis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus & sumtibus colitis, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis exigere aliquid [decimas exigere] vel extorquere præsumat. Nulli quoque post factam ibidem professionem fas sit absque licentia de eodem loco discedere, nisi arctioris religionis obtentu: discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Decanis, Archidiaconis, aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis, omnino fieri prohibemus. Chrisma vero, oleum sacrum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationem clericorum [ordinationes canonicorum] & capellanorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, & cætera ecclesiastica Sacramenta, a quocunque malueritis catholico Antistite, communionem & gratiam Apostolicæ sedis habente absque gravitate aliqua vobis præcipimus exhiberi. Prohibemus autem omnem cujuslibet ecclesiæ Sacerdotem [præter Apostolicam sedem] in vestro monasterio aliquam habere ditionem Auctoritate namque Beatorum [Apostolorum] Pe-



tri & Pauli jubemus, ut nullus Rex, Dux, Marchio, Comes vel alia secularis persona, licentiam habeat ipsum monasterium aliquibus hominibus in beneficium dare; ut profecto juxta id, quod subjectum Apostolica sedi, privilegii firmitate consistit, inconcusse ditatum permaneat, & locis ac rebus, tam his, quas moderno tempore habet vel possidet, quam quæ futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit adaugere ex donis, oblationibus, decimisque fidelium, absque alius personæ contradictione, firmitate perpetua perfruatur. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Abbatissa, vel earum aliqua, quæ tibi successerint: nulla tibi [ibi] qualibet surreptionis astutia seu violentia postponatur [præponatur] nisi quam sorores communi consensu, vel earum pars consilii sanioris, de ipsius collegio monasterii, si idonea reperitur ibidem, secundum Deitimorem providerint eligendam. Libertates quoque & immunitates a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus monasterio vestro concessas; nec non libertates & exemptiones secularium exactioinum, a Regibus & Principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia integre conserventur, earum, pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis Apostolicæ auctoritate, & in ecclesiis non exemptis, diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit; secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sanctissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat ultioni. Cunctis autem, eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Farentii [Ferentini] per manum Joannis S. Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis, S. Romanæ ecclesiæ Cancellarii, 10. Kal. Julii, Indiæ. 8. Incarnationis Dominicæ anno 1207. [1206.] Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ tertii anno 9.

Ego Joannes tit. S. Stephani in Cælio Monte Presbyter Cardinalis.

Ego Cinthius tit. S. Laurentii in Lucina Pbr. Cardinalis.

Ego Cincius [Centhius] Sanctorum Johannis & Pauli Pbr. Card. tit. S. Pam-machii.

Ego Gregorius S. Vitalis & Vestinæ Pbr. Cardinalis.

Ego Leo tit. S. Crucis in Jerusalem Pbr. Cardin.

Ego Rogerius tit. S. Anastasiæ Pbr. Cardin.

Ego Petrus tit. S. Pudencianæ Pbr. Cardin.

Ego Stephanus tit. S. Chryfogni Pbr. Card.

LOCUS SIGILLI

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Johannes Albanensis Episcopus.

Ego Johannes Sabinensis Episcopus.

Ego Nicolaus Tusculanensis Episcopus.

Ego Guido Prænestinensis Episcopus.

LOCUS SIGNI

Ego Gregorius S. Gregorii ad velum aureum Diaconus Cardinalis.

Ego Guido, S. Nicolai in carcere Tulliano Diacon. Cardin.

Ego Gregorius S. Theodori Diac. Cardinalis.

Ego Ubertus, S. Angeli Diac. Cardin.

Ego Otto, S. S. Sergii & Bachii Diaconus Cardinalis.



Post Innocentii Papæ obitum novis iterum cœpit urgeri infestationibus. Unde & iterum se defensione Romam adiit, & alterum ab *Honorio* Papa *tertio* privilegium obtinuit, per omnia præscripto simile. Unde non necessarium judicavi illud præsentibus inferendum. In hoc tamen ultimo loci sepulturam esse liberam, insertum est, nisi sepeliendi aut excommunicati vel interdicti fuerint; salva etiam justitia illarum ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Datum Laterani X. Kal. (a) Junii. Indiçt. 9. Incarnat. Dominicæ anno 1277. Pontificatus vero Domini *Honorii* Papæ tertii anno 5.

*De Secunda Berthæ electione.*

**N**overis, optime lector, summam rerum Ecclesiæ Gandensianæ sub Mathilde præscripta in vertice fuisse. Illa namque privilegiis, quæ ad posteros misit, potius, quid habuerint, quam quid modo haberent, insinuat, ut patebit. Mox enim illa vita pertuncta, & res cœnobii quoque (ne personas dixerim) defecere pedetentim. Generosa proinde Mathilde humanis exuta, in Dominam *Bertham* hujus nominis *Secundam*, ex *Nienborg* Hassiæ Comitissam, vota sororum residerunt, eamque in defunctæ locum Abbatissam *Conradus* Portuensis Episcopus, & à latere sedis Apostolicæ legatus, benedixit. Præfuit annis pene 30. obque Ecclesiæ defensionem plurima per tulit.

*Quæ hic desunt in editione Meibomiana, exhibentur ex MSC. Guelphobytano Tomo II pag. 339. Script. Brunsvicensis illustrantium.*

XXXV.

ARNVLPHI GESTA MEDIOLANENSIVM

ex MSto.

Incipit liber gestorum recentium, ab Arnulpho compositus.

**I**n hoc libro continentur gesta quorundam Italiæ Regum ac Mediolanensium Antistitum, à tempore *Hugonis* Regis & *Arderici* Præsulis, usque ad tempus scriptoris, & si qua sunt præter hæc alia, illis inserta temporibus, prout occurrerunt memoriæ scriptoris ejusdem. Quæ qui scire desiderat, legat per singula, & procul dubio inveniet, unde pascat animum, non cibus lautioribus & copiosis, sed sanis ac digestibilibus. Regum vero ac Pontificum nomina scripta sunt ante oculos subjacenti in pagina.

Otto Rex Burgundio.  
Lotharius filius ejus.  
Berengarius Longobardus.  
Otto primus Teutonicus.  
Otto secundus primi filius.  
Otto tertius secundi filius.  
Ardoinus Longobardus.  
Henricus Teutonicus.  
Huo non similiter [legendum puto: *Chonradus similiter.*]  
Henricus filius ut pater.  
Henricus ejus filius.

Ardericus sedit annos XXII. menses II.  
Manasses & Adelmanus simul quinque fuerunt annis, non in cathedra sed in arcu & pharetra.  
Wulpertus sedit annis XVIII.  
Arnulphus sedit annis III. mens. IV.  
Gothofredus sedit ann. V. mens. I. dies XXIV.  
Landulphus sedit ann. XVIII. mens. III.  
Arnulphus sedit ann. XIX. mens. IX. dies VI.  
Eribertus sedit ann. XXVI. mens. VIII. dies IX.  
Wido sedit ann. XXVII.

Yyy y 3

ARNVL.

(a) In MSC, est Maji.